1888
Lane Medical Library

DE

REBUS OLBIOPOLITARUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIEDRICH LINDISCH

MERSEBURGENSIS.

HALIS SAXONUM.

MDCCCLXXXVIII.

Introductio I. Seite

II.

Introductio.

I.

Tres ex veterum temporum memoria notae sunt urbes, quibus nomen erat „Olbia“: una sita in Gallia Narbonensi,[1]) altera in Pamphylia[2]), tertia et nobilissima in ora septentrionali Ponti Euxini. atque hujus quidem urbis res uberius perscribere nobis proposuimus. — Cum apud rerum scriptores pauca de rebus Olbiopolitarum reperiamus, maxime nitimur in monumentorum titulis; quos optime collegit et universos edidit Latyschewius, vir doctissimus, in libro qui inscribitur: „Inscriptiones antiquae orae septentrionalis Ponti Euxini.[3])“

II.

Scytharum terra et ora septentrionalis Ponti Euxini antiquissimis temporibns adeo terribiles erant Graecis, ut nemo sua sponte illas regiones adiret. Nam incolarum crudelitatem fabulis narrabatur tantam esse, ut nautae, facto naufragio in litus eiecti, aut de saxis in mare praecipitarentur aut virgini cuidam, quae in deorum numero habebatur, immolarentur eorumque ex calvis ut poculis biberetur.[4]) Quin etiam frigus Scythicum, ut hodiernis temporibus Sibiricum, proverbii loco usurpabatur. Atque Herodotus[5]) affirmat in Scythia per octo menses esse hiemem. Huc accedebat, quod mare Scythicum

---

[1]) fere 175 milia passuum ab ostio Rhodani ad orientem versus, Strabo IV, 2.

[2]) quam Strabo appellat „τῆς Παμφυλ ίας ἀρχήν et „μέγα ἔρυμα.“

[3]) Petropoli 1885. III, Olbia, 8–172. Hujus libri titulorum ordinem nos semper sequemur.

[4]) De his fabulis loquitur Strabo in libro VII.

[5]) IV, 28.

propter piratarum impetus periculosissimum eaque de causa „πόντον ἄξενον“ nominatum esse arbitrabantur.

Sed de illis regionibus quam falsae fuerint opiniones ac maxime quidem de crudelitate incolarum Strabo in libro septimo, ubi Scythiam describit, demonstrat, cum dicit, Homerum recte prodidisse Scythas et inter eos Abios equinum lac bibisse et justissimos fuisse homines. [6]) Herodotus autem narrat [7]) Callipidas, Alazones, Scythas rusticos (ἀροτῆρας) frumentum sevisse. Scythae minime feroces atrocesque erant, sed pacis amantes loca quae ad pascenda pecora apta erant peragrabant et cum mercatoribus Graecis libenter mercaturam faciebant. atque etiam de frigore consentaneum est falsam opinionem fuisse Graecorum, qui sub coelo semper sereno viverent. [8]) Quamquam enim hiemis acre erat frigus — nam laurum et murtum frigus non sustinuisse Theophrastus prodit [9]) —, tamen Chersonnesi vites colebantur; [10]) vino autem ut maturescat, opus est aestatis calor sedecim graduum Reaumuriorum. [11])

Porro non merito illud mare πόντον ἄξενον nominatum esse etiam ipsi Graeci brevi videntur intellexisse et mare, quod cur „inhospitale“ diceretur non erat causa, πόντον „εὔξεινον“ appellaverunt. [12])

Commercium in illa terra cum barbaris gentibus quanto usui esset jam antiquis temporibus mercatores Graeci intellexerunt. Nam cum barbari, qui fere nihil aliud, quam pecora possidebant, ut erant commercii imperiti, pro mercibus, quas

---

6) Γλακτοφαγῶν Ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων Jl. 13, 6.

7) IV, 17.

8) Etiam veteres geographos, quod ad Scythiae frigora attinet, imperitisimos fuisse docet: „Ideler, meteorologia veterum Graecorum et Romanorum.“ Berol. 1832. p. 242 sq.

9) hist. plant. IV. 5.

10) Boeckh. C. J. Gr. II. no 2097.

11) Humboldt, de distributione geographica plantarum.

12) Probatur mihi sententia Bocharti, qui arbitratur (Phaleg. lib. III, c. 9.) mari nomen fuisse „askenaz“ i. e, mare Phrygicum et hoc verbum, ut Graecae linguae magis accommodaretur, in ἄξενον commutatum esse.

mercatores importabant, permagna pretia penderent: hi magnum faciebant quaestum. Huc accedebat, ut omnes res, quas India et extremae Asiae regiones efferebant et efficiebant, — cum maxime, non ut nostris temporibus per mare, sed per terram in Graeciam Europamque transducerentur — per emporia ad Pontum Euxinum sita viam facerent. Ac quanta frumenti copia ex illis terris in Graeciam exportata sit, intelligis e Strabone,[13]) qui regem Bosporanum Leuconem quotannis vicies centena milia medimnorum Athenas exportasse tradit. Porro Demosthenes[14]) majorem copiam tritici e Bosporo quam ex ceteris universis terris docet importatam esse.

Permultis annis antequam Graeci quantum commercium in illis regionibus valeret intellexissent, jam Cares Pontum Euxinum et terram ad oram septentrionalem sitam percontati erant et emporia condiderant.[15]) Inter Graecos primi Milesii itinera Carum secuti in Pontum Euxinum navium cursum direxerunt et illud mare saeculis insequentibus coloniis tanquam cinxerunt, ita ut usque ad annum quingentesimum a. Chr. fere octoginta urbes conderentur. Ac qui factum est, ut Milesii quidem in illas regiones navigarent? Jones coloni Miletum, ubi antiquissimis temporibus sedebant Cares [16]), venisse dicuntur sine uxoribus Graecis et mulieres Caricas[17]) in matrimonium duxisse. Quare quamquam hoc in fabularum numero reponendum est, tamen ibi Graecas cum Caribus illam regionem incolentibus jam antiquis temporibus commistos esse apparet. Praeterea etiam Cretenses ante Graecos ibi consedisse cognoscimus ex Ephoro[18]) et Apollodoro.[19]) Quas gentes — Cares et Cretenses — navigandi peritissimas Milesios imitatos esse non miramur. Ac postquam quantos fructus e commercio cum gentibus oram Ponti Euxini incolentibus percepturi

---

[13]) VII, p. 311.
[14]) contra Leptinem. p. 366 ed. Wolfii a. 1607.
[15]) Ut terram circum Tanaim Cares possedisse narrat Plinius VI, 7.
[16]) Apollod. bibl. III, 1, 2.
[17]) Herodot. 1, 48.
[18]) fragm. 32.
[19]) bibl. III, 1, 2.

essent cognoverunt, in locis idoneis et maxime, ut equidem arbitror, in vicis indigenarum emporia collocabant. Quae emporia, ut fierent firmiora et ab incursionibus barbarorum tutiora, muris munita sunt et, cum eo ex patria haud raro emigraretur, paullatim urbium speciem formamque induerunt. Harum urbium potentissimam et opulentissimam Olbiam fuisse inter omnes constat.

Pars prima.

De rebus eternis.

1) De urbe condita.

Olbiam Milesiorum esse coloniam testantur Herodotus [20]) Scymnus [21]) quem Anonymus scriptor Peripli Ponti Euxini secutus est, [22]) Strabo, [23]) Stephanus Byzantius. [24]) Ac non solum ex his rerum scriptorum testimoniis, sed etiam ex significatione urbis, quae est „*Μιλητόπολις*,“ Olbiam a Melesiis conditam esse potest concludi. — Quamquam Eusebius de anno 655 a. Chr. (Olymp. 31, 2) dicit: „*ἐν Πόντῳ Βορυσθένης* [25]) *ἐκτίσθη*,“ itemque Hieronymus: „in Ponto Borysthenes [25]) condita est“, tamen veri simile non arbitror, accurate, quo anno illa urbs condita sit, statui posse. Nam praesertim cum Anonymus Peripl. Pont. Eux. ex Scymno [26]) non unum afferat annum, sed prodat: „*ταύτην δὲ κατὰ τὴν Μηδικὴν ἐπαρχίαν Μιλήσιοι κτίζουσιν*“, i. e. inter annum 655 et annum 558, quo spatio Medicum regnum florebat: equidem puto, jam multis annis ante in eadem regione, in qua postea Olbia sita erat mercatores Milesios emporium habuisse, ex quo crebris ex patria urbe migrationibus p a u l l a t i m urbs facta est.

---

[20]) IV. 78.
[21]) fragm. 72.
[22]) pag. 9.
[23]) VII, 306.
[24]) vide „*Βορυσθένης*.“
[25]) de hoc nomine vide infra: de urbis nominibus.
[26]) l. 1.

2) De urbis nominibus.

Urbi quattuor erant nomina: *Βορυσθένης*, *Ὀλβία*, *Ὀλβίοπολις*, *Μιλητόπολις*.; cives autem nominabantur: *Βορυσθενε[ῖ]ται* aut *Ὀλβιοπολῖται*. — A plurimis rerum scriptoribus nomina traduntur Borysthenis et Borysthenitarum; inprimis ab Herodoto, qui urbem appellat: *τὸ Βορυσθενεϊτέων ἐμπόριον* sive *πόλιν*,[27]) aut modo *Βορυσθένη*,[28]) aut *Βορυσθένη ἐμπόριον*;[29]) ab Luciano[30]) Olbia *Βορυσθενιτῶν πόλις*, ab Ammiano[31]) Borysthenes civitas, a Dione Chrysostomo orationis Borys theniticae omnibus locis *Βορυσθένης*, a Strabone[32]) *ὁμώνυμος τῷ ποταμῷ* (i. e. Borysstheni) nominatur. Incolae autem Borysthenitae vocantur a Plutarcho,[33]) a Menandro,[34]) a Macrobio.[35])

Sed incolae ipsi urbem *Ὀλβίαν* et se *Ὀλβιοπολίτας* nominabant. Testes sunt Stephanus Byzantius (l. l.), qui prodit: „*ἔστι δὲ πόλις Ἑλληνὶς πρὸς ἑσπέραν Ὑπάνιδος, Μιλησσίων ἀποικία, ἥν οἱ μὲν ἄλλοι Βορυσθένην, αὐτοὶ δὲ Ὀλβίαν* [*καλοῦσιν*]“, et Herodotus, qui dicit[36]): „*Ἕλληνες οἱ οἰκέοντες ἐπὶ τῷ Ὑπάνι ποταμῷ καλέουσι .... σφέας αὐτοὺς Ὀλβιοπολίτας*“ Huc accedit, quod in nummis semper legitur *Ὀλβίη* et *Ὀλβιοπολῖται*.[37]) Quae cum ita sint, Boeckhium[38]) recte judicasse puto, qui dicit, exteros Graecos urbem Borysthenem vocasse, quod flumen, cui idem erat nomen, prope Olbiam in mare se effunderet et fere

---

[27]) IV, 17; 53; 78; 79.

[28]) IV. 78.

[29]) IV, 24.

[30]) Toxar, 61.

[31]) XXII, 8.

[32]) VII p. 306.

[33]) „v. Cleomenes.“

[34]) apud schol. Dionys. Perieg. 311.

[35]) Saturnal. 1. 10.

[36]) IV, 18.

[37]) Koehler, act. acad. Petropol. Tom. XIV, p. 108. Mionnet, descript. des medailles antiques, p. 349.

[38]) C. J. Gr. II. Jntrod. inscript. Sarmat.

omnibus notum esset; incolas autem ipsos urbi illud nomen dare non potuisse, quod ne ad ipsum quidem flumen sita fuisset.[39]) Dio Chrysnstomus ineunte oratione Borysthenitica affirmat, urbem esse Borysthenem appellatam propter pulchritudinem („κάλλος") et magnitudinem („μέγεθος") hujus fluminis. Quam ob rem Raoul-Rochette[40]) non videtur recte dixisse: „la ville Borysthène, située près de l'embouchure du fleuve de ce nom, était plus généralement connue des Grecs sur le nom d'Olbia." Etiam Anonymus Per. Pont. Eux. non recte judicat, cum dicit: „πρότερον μὲν Ὀλβία Σαυία, καλουμένη, μετὰ δὲ ταῦτα πάλιν ὑφ᾽ Ἑλλήνων Βορυσθένης κληθεῖσα." Neque enim dici potest „πρότερον" et „μετὰ ταῦτα," quod ita non urbs antiquis temporibus („πρότερον") Olbia, postea („μετὰ ταῦτα") autem Borysthenes appellata est, ut contra ambo illa nomina eisdem temporibus simul — eo quo supra diximus modo — usurpata sint. Eadem de causa Plinii est falsa opinio, qui prodit,[41]) Olbiopolin et Μιλητόπολιν fuisse „antiqua nomina". Sed re vera Olbiopolin alio nomine urbem nominatam esse contendo contra Mannertum,[42]) qui putat, nomen „Olbiopolis" ex civium nomine „Olbiopolitarum" fictum derivatumque esse. Nam in titulo 27 (Lat.) facile suppletur: [Ὀλβι] οπόλει.[43]) — Urbi a Milesiis conditae etiam nomen Miletopoli fuisse non miramur. Ab incolis autem, ut ab Romanis Romam et ab Atheniensibus Athenas, ita Olbiam etiam κατ᾽ ἔξοχην „urbem" sive potius „ἄστυ" nominatam esse existimat Mannertus.[44])

Pauca de Anonymi „Olbia Sayia" [Σαυΐα v. s]. Boeckhius quidem, ubi de Saiis interpretatur;[45]) conicit, illud urbi

---

[39]) Quod autem in titulo 71 (Latysch.) legitur „εἰς Βορυσθένη"; non urbs ipsa, sed emporium significatur.

[40]) Histoire critique de l'etablissement des colonies grecques, tome III, p. 315. IV.

[41]) H. N. IV., 26.

[42]) „Alte Geographie," tom. IV. p. 244.

[43]) cf. Boecph, C. J. Gr. II. p. 86.

[44]) A. G. tom. IV. p. 83.

[45]) Boeckh., C. J. Gr. II. Jntrod. inscr. Sarm.

nomen inditum esse, quod Saii prope incolerent. At equidem non puto Olbiam illud cognomen a Saiis traxisse, quorum in dicione nunquam erat (v. i. de reb. gest. nt. 90.). Immo id magis probo quod dicit Creuzerus [46]): Olbiae antiquissimis temporibus deum solis Thracicum et Phrygicum, cui nomen erat Σάβος, cultum esse et ob eam rem scribendum esse „Ὀλβία Σαβία,“ non „Σαυΐα“. Qui cultus postea in Apollinem et Achillem, quos ex multis titulis dedicatoriis permagna veneratione affectos esse Olbiae apparet, videtur translatus esse. Haud scio an in ea regione, ubi postea Olbia condita est, antiquis temporibus aedes fuerit Sabi; ad quem cum adorandi et sacrorum faciendorum causa barbari crebri convenirent, hac ipsa re Milesios mercatores commotos esse, ut in eo loco coloniam sive emporium constituerent, ubi aptissime cum barbaris liceret negotia facere.

3) De urbis situ ac specie.

Urbis situs describitur ab hominibus, qui suis oculis eam viderunt; ab Herodoto [47]) ac potissimum a Dione Chrysostomo. — Olbia in dextra ripa Hypanis — in ea, quae ad occidentem spectat [48]) — in terra acuta („ὀξύς“ [49]) et solida („στέρεος“ [49]) sita erat; urbis partem in cacumine collis, qui declivis ad fluvium vergeret, exstructam fuisse ex verbis tituli 16 (L.) „ἐπάνω τόποι“ et „κάτω τόποι“ concludi potest; hujus collis sub radicibus haud scio an suburbium fuerit, de quo loquitur Mannertus. [50]) Ab urbe usque ad maris litus Dio Chrysostomus 200, Anonymus 240, Strabo 200 stadia, Plinius 15 milia passuum [51]) fuisse tradunt. Rudera urbis exstant inter oppida Oczakow et Nicolajew prope vicum Jliinskoje sive

---

[46]) Heidelberger Jahrbücher der Litteratur 1822, No. 78.

[47]) IV, 52 et 53.

[48]) πρὸς ἑσπέραν Ὑπάνιδος, Steph. Byzant 1. l.

[49]) Dio Chrysost.

[50]) A. G. tom. IV. p. 83.

[51]) Hanc lectionem corruptam esse et Plinium scripsisse puto 25 milia passuum, quae eadem sunt ac 200 stadia. Neque enim sententiarum diversitatem tantam esse veri simile est.

Parutino, qui est comitis Kuschelew-Besborodko; pars ruderum nominatur Stomagil.[52]) Prope Olbiam Hypanis et Borysthenes confluebant et stagnum („Liman") efficiebant lutulentum et tranquillum. Regio inter Hypanim et Borysthenem Hippolai promontorium (Ἱππολάου ἄκρα) nominabatur; ibi, e regione urbis, Cereris templum erat. Ora erat palustris et densa arundine et arboribus tecta Flumina, postquam confluxerunt, celeri cursu in mare praecipitantur prope arcem Alectoris, quae appellata esse dicitur ab uxore regis alicujus Sarmatici. Ante ostium jacebat insula Borysthenis, quae portum habebat.[53]) Terra, per quam Borysthenes fluebat, frumentum et herbas ferebat ac bona pecori pascua praebebat; in undis erant permulti et boni pisces (ac maxime sturiones, ἀντακαῖοι,[54]) „Störe"); prope ostium magna salis copia reperiebatur. Hypanis aqua, fonte influente amaro, bibi non poterat. Oriebatur ille fons in montibus, qui Scythas rusticos ab Alazonibus (v. i.) seiungebant, et nominabatur Scytharum lingua Exampaeus, Graecorum autem sacrae viae (ἱραὶ ὁδοί)[55]).

Sed nunc qualem putemus urbis speciem fuisse exponamus. E titulo 16 B videmus Olbiam omnem divisam fuisse in partes tres, de quibus una erat „μέρος τὸ πρὸς τὸν ποταμόν", altera „μέρος κατὰ τὸ πρότερον ὑπάρχον ἰχθυοπώλιον", tertia „μέρος κατὰ τὸν λιμένα."

A terra in urbem per portas, binis turribus munitas,[56]) intratum et magna platea[57]) per totam urbem itum esse coniicio. In porta erat δεῖγμα (16 B, 47), quo per „πυλῶνα, (16 B, 100) perveniebatur; is erat locus, ubi merces oculis intuentium atque ementium proponebantur (cf. „Bazar"). In portu etiam granaria[58]) erant. Magnificentissima urbis aedificia

[52]) Boeckh., Introd. inscript. Sarmat; et Latysch.

[53]) Strabo VII, 306.

[54]) Herod. IV, 52.

[55]) ibid.

[56]) „μεγάλαι πύλαι" 16 B, 46.

[57]) „ἁμαξιτός" ibid.

[58]) „σιτόβολον" 16 B, 48.

publica erant: balneae quae Septimio Severo et Caracallae imperatoribus dedicatae erant;[59]) gymnasium, quod Theocles quidam aedificandum curaverat;[60]) templa deorum, quae multa in urbe fuisse ex didicatoriis titulis apparet.[61])

Muris urbs usque ad tertium a. Chr. saeculum non munita erat nisi ad occidentem versus i. e. in ea parte, quam fluvius non attingebat. Nam cum flumen ipsum satis praebere praesidii putaretur, ea pars, quae ad flumen sita erat, nuda erat muris. Sed cum Galatas hieme appropinquante impetum in urbem facturos a transfugis nuntiatum esset ac periculum esset, ne fluvio glacie tecto quasi ponte usi in urbem muris non defensam inruerent, auctore Protogene[62]) portus et forum piscarium muris turribusque munita sunt. Turres autem omnino sunt hae: *Διὸς Πολιάρχου* (tit. 101), *Ἡρακλέους* sive *Κλεομβρότου* (tit. 99) *Ἐπιδαυρίου* (16 B. 47), *Καθηγήτορος* (16 B. 47),[63]) *ὁ κατὰ τὴν ἁμαξιτόν* (ibid.), *Πόνιος* (16 B 58), *οἱ πρὸς ταῖς μεγάλαις πύλαις* (v. s.). Jtaque Olbia non solum loci natura, sed etiam opere sic munita videtur fuisse, ut magnam ad ducendum bellum sustinendamque oppugnationem daret facultatem. Quare non mirum est, quod nationes in illa regione incolentes, cum hostium incursionibus vexati erant, Olbiae salutem ac praesidium petere conabantur. (v. i.)

Sed Olbia, cum anno fere quinquagesimo a. Chr. a Getis ita funditus diruta et vastata esset, ut cives eam restituturi non fuerint, nisi Scythae, ut quo emporio uterentur oppidum haberent, auctores fuissent (*ἐθελόντων Σκυθῶν* Dio): ex urbe magna ac celeberrima facta est parva et misera. Neque modo

[59]) tit. 97.

[60]) tit. 22, 40.

[61]) vide infra: de deorum cultu.

[62]) - - : de rebus gestis.

[63]) non *καθ᾽ Ἡγήτορος* (haec Boeckhii sententia C. I. Gr. II n⁰ 2058), sed *Καθηγήτορος* legendum esse et ob eam rem illi homini sive heroi nomen fuisse „*Καθηγήτωρ*“ non „*Ἡγήτωρ*“ demonstrat Dittenbergerus, Syll. inscript. Graec. fasc. I, n⁰ 248.

circuitus urbis contractus est — plurimae enim turres, quae muros pristinae urbis muniverant, in nova urbe longe extra moenia sitae erant[64]) —, sed etiam muris iufirmis et humilibus cincta est ac vilia malaque aedificia exstructa sunt.[65])

Sed per multa etiam saecula Olbiopolitae abarbaris undique instantibus se defendebant atque etiam saeculo p. Chr. secundo ad majorem auctoritatem et potentiam videntur pervenisse.[66])

4) De Olbiopolitarum rebus gestis.

a) Herodoti aetate, i. e. quinto a. Chr. saeculo inter Jstrum et Tanaim incolebant Scythae, suo ipsorum nomine Scoloti. Qui, e stirpe Mongolica orti,[67]) ex interiore Asia antiquissimis temporibus in Europam immigraverant.[68]) Ad Hypanim sedebant Callipidae, Alazones, Scythae rustici (*ἀροτῆρες*), Neuri;[69]) inter Borysthenem et Panticapem Scythae agricolae (*γεωργοί*), qui ab Olbiopolitis Borysthenitae nominabantur; inter Panticapem et Gerrhum Scythae nomades, ab hoc flumine ad orientem versus Scythae regii. His Scytharum nationibus praeerant reguli.[70]) Maximam habebant auctoritatem et potentiam Scythae regii, quorum sub dicione et imperio ceterae nationes erant.

Scythae, quamquam pascua cum pecore pervagabantur, tamen firmas sedes habebant. Quare omnes illi reguli facile donis datis pacabantur et commovebantur, ne Graecorum agros vastarent aut ipsos vi afficerent, cum majora sibi Graecos commoda ferre intellegerent, quam ut eos impugnare et vexare studerent. Neque enim solum mercaturam cum incolis coloniarum faciebant, sed etiam, cum muris munita oppida non

---

[64]) Dio Chrys.

[65]) „*φαυλότης τῶν οἰκοδομημάτων*“ Dio.

[66]) vide infra.

[67]) Niebuhr, opusc. hist. et philolog T. I. p. 362; Neumann, „Die Hellenen im Skythenlande,“ Berol. 1855.

[68]) Herod. VII, 11. Diod. II, 43.

[69]) Herod. IV, 17.

[70]) qui in tit. 16 „*σκηπτοῦχοι*“ nominantur.

haberent, finitimae autem gentes bellicosae impetus in eorum fines saepe facerent, suam salutem praesidiumque in Graecorum emporiis atque urbibus servandis posita esse persuasum habébant.[71])

Ac Graecorum, ut et fructus e commercio perciperent et tuti ab incursionibus essent, multum intererat amicitiam cum Scythis facere.

Quae cum ita essent, et Scythae et Graeci nihil antiquius habebant, quam ut in eadem amicitiae consuetudine permanerent.

Multi Scytharum reguli non solum nummos suos Olbiae cudendos curabant — ut legitur in nummis Olbiopolitanis: *ΙΝΙΣΜΕΟΣ*[72]), *ΦΑΡΖΟΙΟΥ*[73]) *ΣΚΙΛΟΥΡΟΣ*[74]) — sed etiam domicilia ibi collocabant et mores Graecos imitabantur. Vide quod narrat Herodotus[75]) de Scyle. Qui Olbiae magnificam domum sphingibus et grypibus circumdatam habebat. Patre Ariapithe a Spargapithe, rege Agathyrsorum, interfecto cum regnum obtinuisset, in urbem venit et Scythica veste cum Graeca commutata ibi vixit et deis sacra fecit. Sed Scythae qui per homines nobilissimos quomodo rex se gereret certiores facti erant, ab eo defecerunt et ad fratrem ejus Octasamadem regiam dignitatem transtulerunt. Scyles autem, cum a Sitalce, Thracum rege, ad quem confugerat, deditus esset, a Scythis interfectus est.

Summa amicitiae necessitudine Olbiopolitae attingebant Callipidas, qui proximi Olbiae sedebant et „*παρώρειαν*"[76]) incolebant, i. e. „praeruptas illas ripas, quibus planities Scythica a litore maris et fluminum vallibus distinetur."[77]) Cum

---

[71]) Ob eandem rem Scythae, cum Getae Olbiam funditus delevissent, Olbipolitas commoverunt, ut urbem de integro aedificarent. v. s.

[72]) Köhne, mus pr. Kotschubei. p. 71.

[73]) „Zeitschrift für Numismatik," 8, p. 238.

[74]) ibid p. 329; et Ouvarow, Recherches sur les antiquités de la Russie méridionale, pp. 88, 89.

[75]) IV, 78—80.

[76]) tit. 16 B. Callipidas et *Μιξέλληνας* eosdem esse vide infra.

[77]) Dittenberger, Syll. inscr. graec. fasc. I n° 248.

his potissimum, quia agros colebant[78]) et jam primis temporibus cultu et humanitate per mercatores, qui ad eos commeabant, assuefacti erant, Graecis erat consuetudo.

Veri simile est, multos inter Callipidas Graecos consedisse et cum eis insequentibus temporibus ita commistos esse, ut et Graece et Scythice loquerentur;[79]) et cum Graecorum mores lingua auctoritas paullatim plus valerent, quam Scytharum, ob eam rem ab Olbiopolitis illam nationem „mixtos Graecos," „*Μιξέλληνας*"[80]) vocatam esse. Eadem de causa Herodotus eos *Ἕλληνας Σκύθας* videtur nominasse[81]).

Quare hi Scytho-Graeci naturales erant socii Olbiopolitarum. Quae cum ita essent, Olbiopolitae bona pace videntur floruisse, praesertim cum neque apud Herodotum neque in titulis saeculorum quinti et quarti[82]) Olbiopolitas in bellis versatos esse scriptum legamus.

Sed jam non longe aberant tempora omnibus tempestatibus concitata. Nam tertio a. Chr. saeculo ab omnibus partibus barbari, ut infra videbimus, in Scythiam irruerunt et inter urbes Graecas Olbiam maxime petiverunt.

b) Primum periculum imminebat a Sarmatis atque Sajis, stirpis Slavicae.[83]) Sarmatae sive Sauromatae Herodoti aetate Tanaim nondum transgressi erant neque Graecis erant noti; nam ab Herodoto nusquam nominantur. Sed jam saeculo quarto, aetate Philippi, regis Macedonum, in ora Europaea Maeotidis sedebant.[84]) Eos cum Scythis regiis, natione inter Scythas potentissima et fortissima, quorum fines primos attingebant, diuturna bella gessisse veri simile est.[85])

78) Herod. IV, 17.
79) Herod. IV, 108.
80) tit. 16 B.
81) IV, 17.
82) titt. 8--15.
83) Boeckh., C. J. Gr. II. Introd. inscr. Sarm.
84) Scylax p. 30.
85) per saeculum arbitror; nam ante medium tertium saeculum Olbiam non veniunt.

Sed Scythae illorum barbarorum atrocium et ferocium[86]), qui equis, in quibus quasi vivebant, huc illuc volantes hostem aggredi solebant, impetus crebros sustinere non potuerunt et in dicionem Sarmatarum venerunt atque etiam arcem, ubi reges regnabant[87]) — τὰ καλούμενα βασίλεια, quae Herodotus dicit[87]) — eis dediderunt.[88]) Saeculo tertio Sarmatae ad Hypanim veniunt. Hypanim etiam transgressas esse nonnullas Sarmatarum turbas vel inde apparet, quod prope ostia Borysthenis et Hypanis ad occidentem versus sita erat arx Alectoris, quae ut supra diximus ab uxore regis alicujus Sarmatici nomen traxerat. Praeterea Thisamatae, quos esse Sarmatas Boeckhius recte dixisse mihi videtur, aetate tituli 16 inter Tyram et Hypanim sedebant.

Sarmatis praeerant reges. Inter quos aetate tituli 16 maxime floruit Saïtapharnes,[89]) rex Sajorum, qui tum maximam auctoritatem et potentiam videntur habuisse. Saïtapharnes regnum tenebat a terra Scytharum regiorum usque ad Hypanim, quod flumen Sajos transgressos non esse ex titulo 16 perspicitur. Parvos illos et multos Scytharum regulos in dicione et regno Saïtapharnis fuisse et ei stipendia pependisse veri simile est.

Jllis temporibus Olbiopolitae, quamquam in dicionem Sajorum non veniebant,[90]) tamen quod pacem ab eis permagno redimere debebant, summa calamitate premebantur et egestate, praesertim annona crescente. Non solum annuum tributum,

---

[86]) Strabo XI, 2.

[87]) Herod. IV, 17.

[88]) Re vera regiam Scytharum a Sarmatis expugnatam esse existimamus Boeckhii (l. l.) sententiam secuti, qui dicit, βασίλεια, quo Olbiopolitas annuum tributum, quod Sarmatis pendebant, deportasse prodit titulus 16 a, eadem fuisse atque Herodoti τὰ καλούμενα βασίλεια Scytharum, quae vox quasi nominis proprii loco usurpata omnibus colonis Graecis nota fuisset.

[89]) cum re vera Sajorum regem fuisse acutissime argutissimeque disputat Boeckhius in Introd. insc. Sarm.

[90]) Olbiam nunquam in dicione Scythicorum aut Sarmaticorum regum fuisse demonstrat Koehlerus advers. Rochett p. 67 Sqq.

quod quantum fuerit non proditur, in arcem regiam Sajorum erat deportandum, [91]) sed etiam extraordinaria dona et tributa dendenda erant. Cum rex praeteriret in expeditionibus, [92]) dona postulabat. [93]) Nonnunquam etiam Sajorum turbae sive exercitus (Σαΐοι ἀθρόοι) prope urbem venerunt [94]), ut dona postularent (ἐπὶ τῶν δώρων κομιδήν.)

Praeterea etiam multi illi Scytharum reguli donis pacandi erant.

Olbiae tum, quamquam magistratum non gessit, summa florebat auctoritate Protogenes, [95]) Herosontis filius, e genere nobilissimo et clarissimo natus. Qui totum et animo et corpore in salutem rei publicae se conferebat et in maximis turbinibus et fluctibus navem rei publicae gubernabat; ac nisi fuisset Protogenes, dubito, an Olbiopolitae libertatem conservaturi non fuerint. Nam dona sive tributa, quae ad regem Saïtapharnem erant deportanda, non erant parva; [96]) ex aerario autem, quod tum plane vacuum erat, cum pecunia auferri non posset, Protogenes sua sponte pecuniam, quae opus erat, populo offerebat. Etiam in aliis rebus illa aetate de re publica bene meritus est. Nam cum archontes urbe omnium rerum inopia pressa vasa sacra apud Polycharmum quendam pro centum aureis pignori opposuissent nec solvere possent, solvit Protogenes; ac cum vinum archontes emissent nec pretio comparare possent, Protogenes dedit trecentos aureos. In numerum autem creatus novem archontum, qui tributa pendenda curabant, haud minus mille quingentos aureos dedit „in futuros reditus" (ἐπὶ ταῖς μελλούσαις προσόδοις), ut Saïtapharnes et reguli pacarentur. Maxima

---

[91]) στόλος εἰς βασίλεια tit. 16 a, 46.

[92]) tit. 16 a, 10 venit Κάγκυτον; ibid. 85 εἰς τὸ πέραν.

[93]) sive quod „praeteriret" (τῆς παρόδου), sive „venerationis causa" (ἐπὶ θεράπειαν.)

[94]) 16 a, 35;

[95]) cujus in honorem tit. 18 incisus est.

[96]) v. 11 regi dati sunt quadringenti aurei; eadem summa v. 35; v. 85 rex non fuit contentus nongentis aureis, sed iratus discessit; ac solus apparatus annui tributi in regiam deportandi sumptum afferebat trecentorum aureorum.

autem in populo beneficia posuit, cum annona ingravescente frumentum parvo venderet atque ad triticum publice emendum mille aureos daret.

c) Sed nunc videamus, quam multo majora in patriam merita praestiterit Protogenes Galatis appropinquantibus.

De his Galatis multa sunt disputata [99]). Sed quid proferam ceterorum sententias, quae argutissima Schmidtii [97]) disputatione satis refutatae videntur? Schmidtius, postquam demonstravit Galatas, quos titulus 16 nominat, re vera Galatas, non aliquam gentem ex Europa septentrionali et occidentali venientem fuisse — ante tertium enim a Chr. saeculum omnes illae gentes Galatae sive Celtae vocari solebant [98]) —, quod Olbiopolitae hostium, quibuscum saepius dimicabant, verum nomen noscerent necesse erat: cogitari posse judicat: 1) de Bojis, qui Bohemiam et Moraviam incolebant; 2) de gentibus Celticis Illyriae Pannoniae Norici, qui Taurisci Boji Scordisci nominabantur; 3) de Celtis, qui post cladem Delphicam in Thracia considebant; 4) de Galatis in Asiam transgressis. Longum est causas exponere, ex quibus neque de Bojis Bohemiae et Moraviae, neque de Tauriscis, Bojis, Scordiscis, neque de Galatis Asiae cogitari posse concludit: satis esse arbitror repetere quae disputat de Celtis, qui in Thracia considebant.

Galatae post Brenni cladem Delphicam [99]) tanta tamen erant potentia tantisque opibus — erant fere quinquaginta milia hominum —, ut Thraces subigerent et in eorum terra Comontorio duce regnum Gallicum conderent, cujus maxima erat urbs Tyle sive Tylis. Primus rex erat Comontorius, qui fines regni propagabat ab Haemo ad septentrionem et meri-

---

[97]) „Das olbische Psephisma zu Ehren des Protogenes,“ Mus-Rhen. für Philol., herausgeg v. Welcker und Näcke, Bonn 1836 p. sqq et p. 571 sqq

[98]) ut Niebuhrius Galatas illos fuisse Cimbros conjicit.

[99]) a Koehlero, Rochette, Letronnio, Maltebrunno, Niebuhrio, Boeckhio; horum virorum sententias vide apud Schmidtium.

[99]) Polyb. IV.

diem versus. Multi horum Gallorum impetus terris urbibusque ad Propontidem sitis sustinendi erant, inter quas maxime Byzantium petebatur.[99]) Sed ubi proelio apud Corupedium facto et Seleuco Nicatore interfecto de ora Thraciae meridionali inter Syros et Aegyptios multum est pugnatum, Galatae ab illa regione se receperunt et in orientem ac potissimum in urbes Graecas ad oram septentrionalem Ponti Euxini sitas animum intendere coeperunt. Primi superandi erant, Triballi et Getae. Qui, jam antea a Gallorum turba Lutario et Leonorio ducibus devicti [100]) infirmiores tum erant, quam ut magnum Galatarum impetum sustinere possent. Quantam habuerint tum Galatae potentiam, cognoscitur e Polybio.[101]) Veri simile est, Galatas regni fines usque ad Tyram propagasse et Thraces, Getas, Scythas usque ad hoc flumen repressisse. Gentes trans Tyram flumen incolentes non subegerunt, nonnullas societate sibi conjunxerunt, ut Sciros [102]), qui prope Tyram sedebant.

Florebat regnum Galatarum circiter medio saeculo a. Chr. tertio; neque enim ante annum 278 conditum et anno 214 sive 213 deletum est.

Galatae, postquam Olbiam, urbem illam opulentam, cui magna se impositaros stipendia sperabant, saepius aggressi sunt neque, quod loci natura atque opere egregie erat munita neque a civibus solum, sed etiam a prope incolentibus Scythis, i. e. Callipidis, fortiter erat defensa, expugnare potuerunt: ad urbem subigendam omnes suas copias coegerunt et cum eis Scirorum copias confuderunt ac potissimum Callipidas, qui ab Olbiopolitis stare solebant, sollicitare studebant.

Quo accedebat, ut hieme inita Olbiam aggredi sibi proponerent, quod urbs, quae orientem versus muris non munita erat (v. s.), fluvio glacie tecto apertum eis aditum praeberet.

---

99) Polyb. IV.

100) Iust. XXVII.

101) IV, 38, 6.

102) Plinius (N. H. IV, 27) tradit, Sciros ad Vistulam sedisse; sed ex rebus, quae in tit. B narrantur, apparet, eos tum prope Olbiam sedes habuisse.

Gentes autem, quae inter Tyram et Hypanim incolebant, Thisamatae, Scythae, Saudaratae, metuentes Gallorum atrocitatem („ὠμότητα“), Olbiam petierunt, ut firmum locum haberent, ubi ab illis essent tuti.

Permagna igitur pericula imminebant urbi. Quae cum a transfugis Olbiam essent nuntiata, tantus timor incolas occupavit et mentes animosque perturbavit, — praesertim cum Callipidae et servi deficerent — ut multi peregrini atque etiam cives animo demisso ex urbe aufugerent. Contione convocata divites cives moniti sunt, ut pristinae virtutis memoriam retinerent et quantum pecuniae possent ad muros exstruendos et turres reparandas darent. Sed cum nemo daret, Protogenes patriam servavit. Statim dedit 500 aureos et ipse opera conficienda curavit. Sed quid longius? Traditum non est, num Galatae re vera impetum in urbem fecerint et a civibus repulsi sint; tamen veri est simile, Galatas nescio quibus rebus commotos ab impetu destitisse. Protogenes autem, patriae quasi servator, summis honoribus affectus est. Neque enim solum coronis ornatus, sed etiam summa redituum [103]) administratio ei commissa est.

d) Scytharum opes atque auctoritas magis magisque imminutae sunt, Sarmatae autem potentiam pristinam retinuisse videntur.

A Borysthene ad orientem versus Bosporanorum regum opes crescere tum coeperunt Jnitio saeculi a. Chr. primi ultimus regni Bosporani princeps, Paerisades, totum suum imperium transtulit in Mithridatem, Ponti regem. Qui cum regem Scytharum, Scilurum, Sarmatis adjutoribus vicisset, Scythas, qui ex altera parte a Bastarnis, natione Sarmatica, premebantur, ab ora sepentrionali Ponti Euxini ad longum tempus rejecit totamque terram usque ad Borysthenem occupavit, quo ex tempore illi regioni nomen erat „Scythia parva“. [104])
Olbiam a Mithridate vexatam esse neque rerum scriptores neque tituli tradunt.

---

[103]) vide infra: „de redituum administratione.“
[104]) Mannert, Alte Geographie, IV. p. 283 sq.

e) Ad summam tum potentiam pervenerant Getae, gens Thracica. Qui jam antiquis temporibus Istrum transgressi erant et post cladem Lysimachi inter Istrum et Tyram consederant.[105]) A Galatis, ut supra vidimus, tertii saeculi initio victi et paene deleti, cum Boerebistes regnum obtinuisset, non solum Galatarum imperium fregerunt, sed etiam omnes finitimas gentes suae dicionis fecerunt et[106]) initio saeculi a. Chr. primi usque ad Hypanim fines propagaverunt.[107]) Tota circum Olbiam terra arsit bello. Longa et continua bella („συνεχεῖς πόλεμοι“ tit. 17) Olbiopolitis gerenda multique impetus sustinendi erant.[108]) Olbiae tum florebat Niceratus, Papiae filius, vir fortissimus, cujus gloria virtutis et prudentiae ad ipsos hostes pervenerat.[109]) Ei contigit, ut hostium impetus repelleret. Res, quae tum gerebantur, in titulo 17 non tam dilucide describuntur, ut satis perspici possint. Olbiopolitae Hylaeam, saltum situm trans Borysthenem,[110]) possedisse videntur, „quamquam in eam transitus fuerit periculosus; cur autem frequentes illuc venerint (v. 14 τοὺς ὄχλους) incertum.“[111]) Constat tamen, Getas, cum intellexissent vi atque armis adversus fortitudinem et prudentiam Nicerati nihil se profecturos, nocturnis eum insidiis interfecisse.[112]) Veri simile est, urbem fortissimo duce interfecto ab hostibus esse expugnatam. Nam Dio Chrysostomus memoriae prodit, Olbiam

---

[105]) Strabo VII, 3.

[106]) Strabo VII, 3, 5, 11.

[107]) Getas saeculo primo inter Istrum et Hypanim sedes habuisse vel inde cognoscas, quod Strabo, qui tum vivebat, illam regionem „Γετῶν ἐρημίαν“ vocat.

[108]) Narrantur hae res in tit. 17. Re vera Getas „hostes“ fuisse, quos titulus dicit, demonstrat Latysch. in interpretatione hujus tituli.

[109]) τὸ ἀνυπόστατον αὐτοῦ τῆς ἀρετῆς δείσαντες (scil. οἱ πολέμιοι).

[110]) Herod. IV, 18. 19. 76. Ephor. ap. Scymn. 845. Anonym-Per. P. E. p. 19.

[111]) Latyschew. in interpret. huj. tit.

[112]) Post mortem quantis Niceratus honoribus affectus sit, vide infra „de moribus.“

semper a barbaris vexatam et saepius expugnatam esse. Quamquam urbem Getae non diu tenuerunt! Videntur Sarmatae et Scythae cum Olbiopolitis se conjunxisse et Getas ex urbe expulisse.

Ultima expugnatio fere anno quinquagesimo a. Chr. facta est. [113]) Quo anno barbari, Getae, tanta erant ferocitate, ut domibus vastatis incendiisque factis florem et robur urbis illius splendidissimae paene exstinguerent: fere omnes in templis statuae violata et tituli inscripti in monumentis corrupti sunt. Per nonnullos annos regio derserta erat, mercatores Graeci eo non jam appellebant.

Sed Getae paullatim se receperunt, cum Sarmatas et Scythas sub perpetuo imperio continere non possent; transgressi esse Hypanim non traduntur. Jmmo saeculo proximo usque ad Jstrum repressi sunt a Sarmatis. Ovidii aetate „Sarmatae Jazyges" usque ad Jstrum penetraverant. [114]) Constat, aetate Dionis Chrysostomi, i. e. circum annum p. Chr. centesimum, eos non jam prope Olbiam sedisse; nam illo ab oratore inter hostes, quibuscum Olbiopolitae cotidianis proeliis confligebant, modo Sarmatae et Scythae nominantur.

Getis ab Hypani repulsis Olbiopolitae urbem restituerunt auctoribus Scythis. Novae urbis moenia humilia et infirma, domus malas, circuitum non tantum, quantum antea, fuisse supra est demonstratum. [115])

f. Christianae aetatis initio auctoritas Romanorum, qui jam totam oram meridionalem et occidentalem Ponti Euxini possidebant, etiam in ora septentrionali crescere coepit ac veri simile est urbes Graecas ibi sitas contra barbaros undique instantes ab eis adjutas esse. [116])

---

[113]) Dio enim 150 annis antequam Olbiae fuisset (circum annum 100 p. Chr.), ultimam expugnationem fuisse tradit.

[114]) Veri simile est, Getas cum Dacis se confudisse (Ptolem. 3,8). — Dacia autem anno 107 provincia Romana erat (Dio Cass. 68, 14. Aurel. Vict. Caes. 13. Mommsen ad C. J. L. III. n⁰ 550).

[115]) „de urbis situ ac specie."

[116]) Augusto et Tiberio nescio quorum meritorum gratia porticus dedicatur. (tit. 102).

Olbiopolitarum tum commercium in Ponto Euxino floruisse ex titulo 47 concludi potest, ubi Orontes Olbiopolita a Byzantiis decreto honorario celebratur, quod de mercatoribus in Pontum Euxinum navigantibus bene meritus sit.

Perpetuo autem in bello Olbiopolitas tum versatos esse et semper in armis fuisse cognoscimus e Dione Chrysostomo. Neque enim cum Sarmatis solum creberrime confligebant, sed etiam a Scythis, quamquam cum eis mercaturam faciebant, cavendum eis erat. Nam Dio narrat, antecedente die meridiano tempore Scythas impetum fecisse et speculatores, qui non satis erant cauti, partim necasse partim cepisse. Semper portae erant clausae et signum belli erat in muris.

Ad majorem urbs florem videtur progressa esse saeculo secundo, quo ex saeculo permulti ad nos tituli pervenerunt. Permagnus tum numerus peregrinorum Olbiam confluxit, nam in titulo 22, qui est illius aetatis, septendecim urbes nominantur, quarum cives Olbiae domicilia habebant. Quo in titulo quod saepius commemorantur „πρεσβεῖαι“, conjicio Olbiopolitis contigisse, ut donis datis pacem ab regulis Scytharum [117]) redimerent.

Quamquam Sarmatae [118]) in expeditionibus, quas huc illuc faciebant, agrum populabantur et urbem vexabant! Urbem etiam ab eis expugnatam et direptam esse docet titulus 58, in quo Apollinis templum violatum esse traditur; idem titulus prodit, hostes ex urbe expulsos et magnam ab eis victoriam reportatam esse, quam aede restituta praetores epigrammate celebrabant.

Illa aetate [119]) etiam Tauroscythae Olbiam vexaverunt, sed auxiliis ab Antonino Pio missis repulsi sunt. [120])

Circum annum p. Chr. ducentesimum, Septimio Severo

---

117) „γειτνιῶντες βασιλεῖς.“

118) quorum reges in tit. 33 nominantur.

119) medio fere saeculo p. Chr. secundo.

120) Jul. Capitol. vita Anton. c. 9.

Jmperatore, Olbiam ad imperium Romanum adjunctam esse statuit Latyschewius, quam opinionem adjuvat, quod ab illa aetate Olbiopolitae nummos imaginibus Jmperatorum Romanorum ornare coeperunt. Sed hac ex re non sequitur, ut Olbia in Romanorum dicionem venerit. Nam etiam principes Bosporani, quamquam non erant sub imperio Romano, usque ad Rescuporim VIII (qui mortuus est anno 336), nummos suos imaginibus Jmperatorum signabant.[121]) Porro ora septentrionalis Ponti Euxini nunquam provincia Romana facta est. Vide quod Mommsenus dicit, Tyram sitam fuisse in Moesia, Olbiam extra provinciam in Sarmatia. Moesiae autem inferiori praefectus [122]) magna in illis terris auctoritate erat.[121]) Nam Jmperatores Romani, quorum commercium in ora septentrionali Ponti Euxini servari multum interesset, urbes Graecas ab incursionibus barbarorum tueri (v. s.) et regulos illos Scythicos et Sarmaticos in dicione tenere studebant.[123]) Quare non est mirum, quod Olbiopolitae, sive ut pro meritis acceptis gratias referrent, sive ut in libertate permanerent, Jmperatores Romanos titulis incisis atque etiam nummis signatis venerabantur. Ut Septimo Severo et Caracallae filio inter annum 196 et annum 198 [124]) ab Olbiopolitis publice balneum cum opere scutulato [125]) dedicatum est; Caracalla et Geta fratres titulo 109 honorantur.

Postquam Severus Alexander (222—235), cujus ultimi Jmperatorum imaginem nummi Olbiopolitani praebent, a militibus interfectus est, Romanorum auctoritas in ora septentrionali Ponti Euxini minui coepta est, praesertim cum undique barbari fines imperii invaderent. Nam Julius Capitolinus [126])

---

[122]) Marquardt, Römische Staatsverwaltung I, de Moesia provincia.

[121]) virum, qui in tit. 97 nominatur „διέπων τὴν ἐπάρχειαν,“ praefectum Moesiae inferiori fuisse conjicio.

[123]) Boeckh, C. J. Gr. II. p. 107 et 108: n⁰ 2108 b. 2108 f. 2122. 2123—2126.

[124]) de aetate vide infra: „appendix.“

[125]) „σὺν σκουτλώσει“, cf. J. R. L. Sterret, Mitteilgg. des archäolog. Instit. in Athen, vol. VIII, p. 329.

haec habet: „sub his (i. e. sub Maximino et Balbino) Scythici belli principium fuit.“ Maximinus autem, qui Scythas subigere et oram septentrionalem suae dicionis facere sibi proposuerat, de consilio desistere coactus est, cum milites ab eo deficerent.[127]) Gallieno Jmperatore (260—68) Scythae usque ad Cappadociam et Bithyniam penetrant et navibus Pontum Euxinum transgrediuntur et ad Jstrum et Heracleam expeditiones faciunt.[128]) Sed dubito, num re vera Scythae fuerint. Nam illis temporibus nullum est discrimen inter Scythas, Sarmatas, Getas, Gothos, qui tum a Borysthene in fines Romanos penetrant. Confer quod dicit Plinius:[129]) „Scytharum nomen usquequaque transit in Sarmatas et Germanos.“ Ac mihi vera videtur sententia Bessellii,[130]) qui dicit, quae de Scythis et Sarmatis narrentur, a Gothis esse facta. De Olbia ipsa ex illa aetate nihil proditur. Saeculo p Chr. quarto ab Ammiano[131]) commemoratur ac saeculo p. Chr. sexto majorem etiam potentiam recuperasse videtur, nam Jornandes[132]) in numero urbium „florentium“ eam ponit; saeculo nono Olbiam non jam fuisse veri simile est, quod a Constantio Porphyrogenneto non commemoratur. Qua aetate perierit Olbia, nusquam proditur.

---

126) vitae Maximini et Balbini c. 16.
127) Jul. Capitol. vit. Max. et Balb. c. 13. Herodian, 7, 2.
128) Trebell. Poll., Gallieni duo 1, 1. 12, 6. 13, 6.
129) N H. IV, 12.
130) Encyclopädie von Ersch und Gruber, „Gothen.“
131) XXII, 18.
132) de reb. Get. c. V.

Pars altera.

De rebus internis.

1) De incolis.

Olbiopolitae, cum perpetuis in bellis versarentur, summa erant fortitudine. Ut Callistratus, adolescens quidam Olbiopolitanus, quocum Dio Chrysostomus colloquitur, multos Sarmatas partim occidisse, partim captivos duxisse narratur. Priscum Graecorum morem secuti — „ita ut Homerus Graecos describit“ — Olbiopolitae comam promittebant neque barbam tondebant [1]; qui tondebant, contemnebantur et in odio erant, „quod id facerent, ut Romanis placerent.“ Vestiti esse solebant aetate Dionis Chrysostomi, i. e. exeunte primo p. Chr. saeculo, — qualis enim eorum vestis antea fuerit non proditur — veste Scythica: portabant feminalia ac circum umeros parvum et nigrum pallium, quale Scythae inter Hypanim et Borysthenem incolentes (v. s.). Maxime vestem nigram imitabantur gentis Scythicae, quae *Μελάγχλαινοι* nominabatur. Adolescentes autem chitone vestiti erant, ut in anaglyphis tituli 123 perspicitur. Cum semper periculum esset, ne barbari incursiones facerent, magno qualem equites portant gladio cincti esse solebant; nam cum barbaris illis, quippe qui in equis quasi viverent, equestribus modo proeliis confligebant.

Consuetudine, quae civibus mercaturae tam studiosis cum gentibus barbaris erat, fiebat, ut multi barbari Olbiae considerent et, cum hi virgines Graecas et Olbiopolitae mulieres barbaras in matrimonium ducerent, incolae brevi miscerentur. Porro cum, urbe a Getis expugnata et deleta, Scythae ut oppidum denuo exstrueretur effecissent eorumque permagna copia Olbiae domicilia posuissent; brevi nomina barbara vel barbaro modo ficta numero aequabant Graeca nomina ac nonnunquam cives duo nomina, alterum Graecum, alterum

[1]) quod testatur non solum Dio Chrysost., sed etiam anaglypha tituli 123.

barbarum sibi dabant [2]); quin etiam saeculis insequentibus quis barbarus, quis Graecus esset vix discerni potuit, praesertim cum magis magisque barbarorum mores susciperentur. Nam fere anno p. Chr. centesimo magis se barbaros, quam Graecos esse Olbiopolitae ipsi Dioni Chrysostomo profitentur, cum raro Graeci ad se veniant; „quamquam nonnulli, inquit senex aliquis Olbiopolitanus, ad nos veniunt, qui se Graecos nominant, tamen magis barbari quam nos (*βαρβαρώτεροι ἡμῶν*); mercatores et circumforanei homines (*ἀγοραῖοι*).“

At Olbiopolitas, quamvis barbaros mores sequerentur, tamen ab Graecis Jonibusque originem traxisse multis ex rebus apparet Nam mos erat apud eos, ut pueri amarentur et Apollo Prostates, quem maxime Jones adorant, ab eis coleretur. Mensium nomina fere eadem erant Olbiae, quae Mileti [3]). Huc accedit, quod sermone Jonico utebantur [4]); atque etiam verborum copiam, quae propria erat Jonum, ab eis conservatam esse ex ipsa titulorum scriptura elucet.

Atque ipsa Olbiopolitarum forma habitusque testes erant Graecae Jonicaeque originis; nam Dio Chrysostomus Callistratum adolescentem „*πολὺ Ἰωνικὸν τοῦ εἴδους*“ habuisse tradit. Sed quid dilucidius Olbiopolitarum originis Jonicae argumentum reperias, quam eorum studia Homeri? Quibus deditos eos fuisse putat Dio, sive quod etiam tum bellicosissimi essent, sive quod ille heros, cujus ira Jliade canitur, ab eis in deorum numero relatus esset. Homerum ut deum venerantur (*σχεδόν τι μετὰ τοῖς θεοῖς*), et Jliadem fere omnes memoria tenent; praeter Homerum nullum poetam

[2]) ut Niceratus quidam altero nomine: „(*ὁ καὶ*) *Ὀμψάλακος*“ nominatur. tit. 122.

[3]) Boeckh C. J. Gr. II. pp. 87 et 139. Menses, quos ex titulis cognoscimus, sunt hi: *Ἀνθεστηριών* (tit. 18), *Ἀπατουρεών* (tit. 28), *Βοηδρομιῶν* (tit 22), *Καλαμαιών* (tit 30), *Ληνεὼν* (tit. 31), *Πὰνημος* (tit. 21).

[4]) ut legitur: *Ὀλβίη*, *Ὀλβιοπολιτέων*, *Ἀχιλλέος*, *Πόσιος*, *χρύσεον*, *χρυσέαις ἀργυρέῳ*, *κατασκευᾶν* (futur. attic), *ἱέρεω* etc

putant; „hunc autem omnes noverunt.“ Atque ipsorum poëtae omnibus in rebus Homerum imitantur, quin etiam caecum esse oportere poëtam arbitrantur. Horum poëtarum carminibus animi incendebantur virorum, cum signa in hostes illaturi essent.

E philosophorum scriptis modo Platonis pauci legebant. Tamen nobis inter Olbiopolitas ipsos noti sunt, qui in philosophiae et historiae studiis versabantur; inter quos nominamus Posidonium, sophistam et rerum scriptorem[5]); Bionem Cynicum, humili loco natum; Sphaerum, philosophum clarissimum, qui scholam Zenonis sequebatur[6]). Tamen saeculis illi a Getis factae expugnationi antecedentibus, qua ex aetate pauca dolendum est ad nos pervenisse testimonia, omnes artes litterasque, ut in universis tum urbibus Graecis coloniisque, ita Olbiae summo fuisse in flore veri simile est.

— — — — Tres incolarum ordines discernere possumus: servos; peregrinos, qui Olbiae domicilium habebant; cives.

a) de servis. Servi tantummodo bis commemorantur; in titulo 16 B, 15 et apud Macrobium, Saturnal. 1, 10. Jn titulo 16, cum Galatas hieme inita impetum in urbem facturos audivissent, ab Olbiopolitis defecisse traduntur; qua ex re, quod ab hostibus stare audebant, apparere videtur, non parvum fuisse eorum numerum. Eadem ex re concludendum puto, eos, qui sorte servorum Olbiae utebantur, fuisse barbaros et in bellis gestis cum Scythis, Sarmatis, aliis gentibus captos esse: nam nisi sperassent, fore, ut Olbiopolitis victis libertatem recuperarent et ad suos reducerentur, dubito, num defecturi fuerint. Qua servi condicione Olbiae vixerint dici non potest. Servos nonnunquam manumissos esse discimus ex Macrobio (l. l.), qui tradit: „Borysthenitae oppugnante Zopyrione[7]) servis liberatis . . . hostem sustinere potuerunt.“

---

[5]) qui „Atticas historias“ et „Libyca“ atque „περὶ τῆς Τυρικῆς καλουμένης χώρας“ scripsit. (Suidas.)

[6]) Diog. Laert. VII, 179 sqq.

[7]) de hoc Zopyrione nihil novimus; haud scio, an unus de multis illis Scytharum aut Sarmatarum regulis fuerit.

b) de peregrinis, qui Olbiae domicilia habebant.

Olbiam, ut erat emporium frequentissimum, mercaturae faciendae causa magnum numerum peregrinorum, sive barbarorum, sive Graecorum, semper confluxisse apparet. Ex quibus multi, sive ut negotiandi causa complures modo annos ibi consisterent, sive ut firmas sibi sedes pararent, Olbiae domicilia collocabant. His peregrinis proprium non erat nomen, ut Athenis *μετοίκοις*, sed *„ξένοι“* tantummodo nominantur sive *„ἐπιδημοῦντες“* vel *„παρεπιδημοῖντες (παρ᾽ ἡμᾶς) ξένοι.“* Eorum permagnum fuisse numerum concludimus ex titulo 22, quo ineunte duodeviginti urbium nomina legimus, quarum cives Olbiae habitabant.

Quae vectigalia peregrinis fuerint pendenda perspicimus ex titulis 8, 9, 10, 15. Jnprimis peregrini portorium et vectigal pendere debebant pro eis rebus, quas exportabant et importabant.

Jn contionibus eis adesse num licuerit vide infra, ubi de contionibus dicemus.

Nonnunquam peregrinis populi decreto immunitates quaedam datae sunt; inter quas *„προξενίαν“* [8]) ut, Athenis, honoris causa datam esse arbitror. Privilegia, quae concedi solebant, erant: *„ἀτέλεια πάντων χρημάτων ὧν ἂν εἰσάγῃ ἢ ἐξάγῃ“* [9]) τις *„εἴσπλους καὶ ἔκπλους καὶ ἐν πολέμῳ καί ἐν ειρήνῃ ἀσυλεί καὶ ἀσπονδεί.“* [10]) Si quis eximie de re publica meritus erat, civitate (*πολιτείᾳ*) donabatur. [11])

Nonumquam accidebat, ut, si res publica summa calamitate premebatur, universis peregrinis Olbiae habitantibus civitas tribueretur. [12])

Novos cives veri simile est eadem juris libertatisque condicione usos esse ac veteres. Etiam filios posterosque

[8]) titt. 8 et 15.

[9]) titt. 8 et 9.

[10]) titt. 8. 9. 10. 15.

[11]) titt. 8 et 15.

[12]) Macrob. Saturn, 1, 10.

eorum peregrinorum, qui civitate donati erant, civium ordini adscriptos esse docet titulus 8.[13])

Peregrini maxime negotiis quaestuosis (ut fenerationi, similibus) se dabant ob eamque rem haud magni aestimati esse videntur; nam Polycharmus quidam, cui archontes pro pecunia vasa sacra in pignorum loco dederant[14]), quasi cum contemptu „ὁ ξένος“ nominatur.

c) de civibus.

Quod civium jura privilegiaque potisa esse solent in origine, Olbiae Milesii modo, qui urbem condiderant, eorumque progenies civium locum tenebant; tum multis peregriris de urbe bene meritis civitas impertita est; quae in eorum posteros transferebatur. Universi cives efficiebant „ecclesiam“, quae re vera rem publicam gerebat.

2) De moribus.

Cives, qui de patria bene meriti erant, ab Olbiopolitis honoribus affectos eorumque memoriam posteris etiam traditam esse testantur multae statuae populique decreta ac dilucidissime ipsius tituli 12 locus hic: „τιμῆς καὶ δωρεᾶς ἀξίας ἕκαστος τεύξεται παρὰ τοῦ δήμου τῶν ἐνεργετημάτων“, et tituli 17 hic locus: „τοὺς ἐνεργέτας ταῖς καθηκούσαις τιμαῖς κοσμουμένους ὁρῶντες (sc. οἱ πολῖται).“

Honoraria igitur populi decreta non solum effecerunt, ne civium merita oblivione obruerentur, sed etiam ut et aequales et posteri ad eadem in civitatem merita incitarentur. Quam ob rem accurate, cur aliquis dignus putatus sit, qui a civibus afficeretur honoribus, in titulis exponi solet.

Saepissime viri, qui de patria bene meriti erant, honorabantur coronis aureis[15]); nonnunquam etiam pro coronis nummi aurei dabantur: ut in titulo 12 legimus Callinicum, Euxeni filium, coronatum esse mille aureis (στεφανωθῆναι

---

[13]) „χαιριγένει . . . . αὐτῷ καὶ ἐκγόνοις . . . . πολιτείαν (sc. ἔδωκαν).“

[14]) tit. 16 A.

[15]) titt. 17, 25. (21, 34). 22, 1; 35. (24). 25. 16. 26. 27. 39. 57, 17. 68. 16 B, 56. 35. 38. 155.

χρυσοῖς χιλίοις).[16]) Theocles, qui bene meritus erat legationibus susceptis, muneribus diligentissime et accuratissime administratis, beneficiis et in cives et in peregrinos collatis, non solum corona aurea coronatus, sed etiam laus ejus publice per praeconem renuntiata est;[17]) eodem modo Callinicus in theatro Dionysiis coram populo celebratus est.[18]) Haud raro talibus viris statuae ponebantur: ut Theocli et Callinico, quos modo nominavimus, et Nicerato,[19]) quem de urbe a Getis vexata eximie meritum esse supra vidimus. Hic autem post mortem summis affectus est honoribus.[19]) Nam corpus ejus ex Hylaea, ubi ab hostibus obtruncatus erat, in urbem est deductum, ut sepultura afficeretur tali viro digna (*πρὸς τὴν καθήκουσαν κηδείαν*.) Omnes in urbe officinae et tabernae clausae et cives vesta mutata universi exequias comitati sunt. Statua autem posita est equestris, cujus in titulo Nicerati in patriam merita omnium ante oculos proponerentur. Quid? quod a senatu populoque constitutum est, ut quotannis in contione, quae ad magistratus annuos creandos convocabatur (v. i.), memoria ejus redintegraretur, quin etiam in ludis, qui Achilli fiebant, per praeconem laudatione cuncta coram corona celebraretur.

3) De commercio.

Jn urbes Graecas ad oram Ponti Euxini sitas atque inprimis Olbiam vias mercaturae barbarorum et Graecorum, Asiae et Europae, convenisse jam supra diximus. Quare non mirum, Olbiopolitas, quod summum in negotiis gerendis studium collacabant, gradatim haud parvas sibi opes peperisse. Tamen saeculis insequentibus perpetuis cum barbaris gestis bellis maxima populi pars in summam egestatem deducta et urbis aerarium immensis tributis datis exhaustum erat ita, ut

---

[16]) *στεφανοῦν* de pecuniae praemiis dandis usurpari discimus ex Polyb. XIII, 9, 5. XXII, 12, 10 XX, 17, 4; et ex Athenaeo XII, p. 538 b.

[17]) tit. 22.

[18]) tit. 12.

[19]) tit. 17.

ab hominibus privatis, qui plus quam ut ad inopiam redigerentur divitiarum accumulaverant, pecunia mutua sumeretur. Ad majorem florem iterum urbs Romana aetate progressa videtur.

Olbiopolitarum naves in omnes et Ponti Euxini et maris Aegaei regiones cursum dirigebant et mercatores itineribus terrestribus in intimam Asiam usque ad Jssedones penetrabant. Permagnam frumenti (tritici) copiam ab Olbiopolitis in Graeciam deportatam esse e Demosthne (l. l.) concludimus; barbaros autem Dio prodit maxime emisse salem, qui prope Olbiam reperiebatur.

Urbes autem, ubi negotia gerebant Olbiopolitae, notae sunt hae: Miletus [20], Byzantium [21], Nicomedia [20], Prusa (Bithyniae) [20], Amastris [20], Heraclea [20], Tomi [20], Chersonnesus [20], Odessus [20], Galatia [20], Apamia [20], Tyra [20], Sinope [20], Teuthonia [21], Eumenium [21], Apollonis [21], Rhodus [21], Cnidus [21], Thasus [21], Parus [21]. Quod autem plurima vasa Olbiae effossa nomina insularum Rhodi, Cnidi, Thasi, Pari praebent, cum his insulis frequentissimum commercium Olbiopolitis intercessisse arbitror concludendum. Atque hoc commercium per longa tempora viguisse inde apparet, quod diversis saeculis titulos in vasis inscriptos esse litterarum forma docet.

Jn urbe ipsa negotia gerebantur in theatro [22]; multas dabant, qui alio in loco emerant aut vendiderant [23]. Omnes merces emendae et vendendae erant secundum nummorum

---

[20]) hae commemorantur in titulis 22 et 23.

[21]) has novimus e titulis, qui in vasis inscripti sunt: Franz, Philol. II. p. 296 sqq. 1—177.

[22]) nam in tit. 11 legitur: „πωλείτω καὶ ὠνείσθω ἐπί τοῦ λίθου τοῦ ἐν τῷ ἐκκλησιαστηρίῳ. Ecclesiasterion autem fuisse theatrum conjicio, cum respexerim, quod dicit Viitruvius VII, 55: „. . Trallibus cum Apaturejus Alabandeus . . . finxisset scaenam in minusculo theatro, quod apud eos ἐκκλησιαστήριον nominatur.“

[23]) tit. 11, 10—13.

Olbiopolitanorum pretium („cours“) [24]. Antiquis temporibus, quibus Olbiopolitae auro nondum pro nummo utebantur, sed aere et argento, exteri aurei nummi, excepta statera Cycicenorum (v. i.), quamquam Olbiam importari poterant, firmam rationem („cours“) non habebant, sed mercium loco erant deque eorum pretio inter emptores et venditores conveniebat [25]).

4) De re municipali.

a) De magistratibus.

Olbiopolitarum res publica administrabatur per magistratus annuos, qui in comitiis, quae ob id ipsum quotannis convocabantur, a populo fiebant. Utrum sorte ducti, an suffragiis creati sint, certum non habemus; modo novem archontes (v. i.) re vera suffragiis creatos esse [26]) certo scimus; tamen veri simile est, etiam ceteros magistratus creatos esse, praesertim cum comitia illa nominarentur „*ἐκκλησία ἀρχαιρετική*,“ i. e. „*ἐκκλησία*,“ ubi „*αἱ ἀρχαὶ αἱροῦνται.*“

Olbiae mos videtur fuisse, ut magistratus a viris quarundam nobilium gentium gererentur, quae non solum officiis sua sponte susceptis rem publicam adjuvare („*λειτουργίαι*“), sed etiam quam plurimis muneribus fungi [27]) laude et virtute majorum cogi se [28]) putabant. Quare non mirum, quod in titulis semper in eosdem viros incidimus, qui muneribus praefuisse dicuntur.

Primum locum tenebant

Archontes,

qui quinque virorum collegium efficiebant, cui unus de collegis praeerat. Huic archontum principi proprium non erat

[24]) *πρός τὸ νόμισνα τὸ τῆς πόλεως*, tit. 11, 11.

[25]) tit. 11, 26—29.

[26]) nam Protogenes (tit. 16) commemoratur „*αἱρεθεὶς τῆς τῶν ἐννέα ἀρχῆς.*“.

[27]) „*τοιούτων ἀνδρῶν χρεία ἦν ἄρχειν και πλειστάκις,*“ tit. 22, 27.

[28]) „*κατὰ τὸ τοῦ ἀξίωμα γένους,*“ tit. 26.

nomen, nominatur in titulis „is, circum quem ceteri erant“ [29]) (quod significant verba „οἱ περὶ τὸν δεῖνα“), rarius πρῶτος ἄρχων [30]) aut προεστὼς τῆς πόλεως ἀνήρ. [31]) Hoc ex munere Olbiopolitae annum constituebant (cf. ἄρχοντα ἐπώνυμον Atheniensium), quod significant verba: „ἐπὶ ἀρχόντων τῶν περὶ τὸν δεῖνα“ [32]), rarius verba: „ἐπὶ ἄρχοντος τοῦ δεῖνος.“ [33]) Ex titulo 16 apparet, hujus tituli aetate muneris eponymi dignitate sacerdotes usos esse [34]); antiquissimis autem temporibus astynomos magistratum eponymum administravisse putat Beckerus, qui dicit: [35]) „In der alten Stadt, wo die oberste Macht in staatlicher und religiöser Beziehung effectiv in der Person des Eponymos vereinigt war, führte er den Specialnamen ἀστυνόμος; in der neuen dagegen, wo der Einfluss anderer Magistrate, namentlich der Strategen, ein überwiegender geworden war, und der Eponymus mehr dem Herkommen, als der ihm zustehenden Gewalt nach an der Spitze des Staates stand, schien der Sondername weniger passend, als die schon erwähnte Umschreibung“ (i. e. οἱ περὶ τὸν δεῖνα ἄρχοντες.) „Den Uebergang zu letzterer bildete am Ende der alten Stadt der Name ἱέρης . . . . .“ Ad hanc sententiam Beckerum permovit, quod in vasorum effossorum ansis astynomi nomen semper genetivo casu positum reppererat. Sed cum re vera vasa effossa sint, quorum in ansis dilucide astynomi nomen perspicitur nominativo casu positum, negamus, magistratum eponymum unquam astynomum fuisse. Confer quod dicit Stephanius, vir doctissimus: [36]) „In derselben Sammlung findet sich auch ein (zweiter) Henkel, der nicht ohne Wert . . . . ist, indem auf ihm zum ersten Male der Name des Astynomos völlig unzweideutig im

---

29) multa sunt exempla: cf. not. 32.
30) tit. 24, 4.
31) tit. 22.
32) tit. 21. 22. 24. 27? 28. 29? 31. 32. 75. 81. 91. 97. 98. 101. 143.
33) tit. 76. 82.
34) legitur: ἐπὶ Ἡροδώρου ἱέρεω et ἐπὶ Πλειστάρχου ἱέρεω.
35) Mélanges gréco-rom., vol. I. p. 482 sq.
36) Mél. gr.-rom. T. II. p. 208.

Nominativ erscheint. Denn dadurch wird es sehr wahrscheinlich, dass die Namen der Astynomen nicht zur Bestimmung des Jahres . . . genannt sind."

Sed re vera apud sacerdotes magistratum eponymum fuisse neque „ἱέρεων" proprium nomen primi archontis fuisse judico contra Beckerum (in eadem interpretatione)[37]. Nam, cum antiquis temporibus in urbibus Graecis sacerdotes etiam rei publicae ministri fuerint, veri simile est, summi dei primum sacerdotem tali potestate atque dignitate fuisse, ut anno nomen daret. Quamquam haud scio an sacerdotum principis munus eponymum in uno viro conjungi potuerit![38]) Hoc munus postea totum ab sacerdotibus ad archontes transiit.

Regis sacrificuli munus, ut Athenis a secundo archonte, qui erat βασιλεύς, ita Olbiae ab uno de archontibus administratum esse veri simile non puto, quamquam, quod in titulo 53 legitur: „Ἀριστόνικος Διονυσίου ὁ καὶ βασιλεύς," Boeckhius[39]) illam conjecturam facit; immo Latyschewio assentior, qui in illius tituli interpretatione dicit haec: „. . . . Praetorum est titulus, non archontum, ideoque vix potuit Aristonicus ἄρχων βασιλεύς esse, quia eodem anno eundem virum duobus muneribus (scil. praetoris et archontis) functum esse minime est probabile."

Sed nunc quae jura officiaque archontum fuerint explicemus. Olbiopolitanorum archontum munus e Milesiis prytanibus esse ortum videtur.

Archontes, cum ordine dignitatum primum tenerent locum, civitatem quasi praestabant et rei publicae civiumque commoda et salutem semper spectare debebant. Quare cum exteris civitatibus regibusque agebant pro civibus itemque ab nullo nisi archontibus exterae civitates regesque rationem re-

---

[37]) „Dagegen führt er [i. e. „der erste Archon"] in dem Beschlusse für den Protogenes den speciellen Namen ἱέρης."

[38]) antiquis temporibus archontum et sacerdotum munera multis in rebus se attigisse veri simile est, cum id respiciamus, quod et sacerdotes et archontes Achilli Pontarchae, et ei soli, vota solvebant. (v. s.)

[39]) C. J. Gr. II n° 2069.

poscebant.[40]) Omnes epistolae ab exteris civitatibus Olbiam missae omnesque qui ad communem salutem pertinebant nuntii danda erant archontibus, qui tum ad populum referebant.[41])

Contiones non solum convocabant, sed eis etiam praeerant (r. i.) Hoc eorum summum jus erat. Ab eis etiam senatum coactum esse conjiciendum puto e decreti verbis: *ἔδοξεν τοῖς τε ἄρχουσιν καὶ βουλῇ Καὶ τῷ δήμῳ*[42]).

Etiam aerarii administrationis participes videntur fuisse. Nam in titulo 16 legimus, eos „*εἰς τὴν τῆς πόλεως χρείαν*" vasa sacra ut pecuniam reciperent Polycharmo cuidam pignorum loco dedisse et alio ejusdem tituli loco legitur, eos „*λυσιτελῶς*" vinum emisse.

Sententia Boeckhii,[43]) archontes brabeutas fuisse, refutatur conjectura Latyschewii in titulo 77, qui legit: *Πουρθ[αῖ]ος Πο[υρθαί]ου ἀρχοντεύων ἐν[είκα λ]όγχαι, δίσκ[ωι].*" Quam conjecturam veram esse vel inde apparet, quod in titulo 80 dilucidissime perspicitur: [*ἐ*]*νείκα λόγχῃ* Quac cum ita sint, his ex titulis concluditur, archontes ludis non praefuisse, sed in cert minibus victores fuisse. Huc accedit, quod in titulo 80 etiam praetoris nomen legitur.

Archontes, cum officia deposuerant ratione habita Achilli Pontarchae vota solvebant. (vide infra.)

Secundum archontes antiquis temporibus summa erant dignitate

Septemviri (*οἱ ἑπτά*),

qui, ut vel ex ipso nomine apparet, collegium erant septem virorum. Commemorantur in tribus modo titulis,[44]) reperiun-

---

[40]) ut Saïtapharnes, rex Sajorum, cum donis datis non esset contentus, modo in archontes animadvertit. cf. finem tituli 16 A

[41]) tit 47: „*διαπέμψασθαι . . τὸ ψήφισμα . . δὶ ἐπιστολὰς τοῖς Ὀλβιοπολειτᾶν ἄρχουσιν*"; — in tit. 16. regis Saïtapharnis adventum ad populum referunt.

[42]) Nam Athenis, quod senatui non intererant (Boeckh. Jntrod. Boeot. II, 4), archontes nusquam in titulis una cum senatu et populo nominantur.

[43]) C. J. Gr. II p. 88 n° 2076.

[44]) 12. 16 a. 46.

tur etiam in nummis.[45]) Fx titulo 46 elucet, septemviros „θησαυρῷ" praefuisse; quod urbis aerarium fuisse existimat Th. Struvius[46]). Quam contra sententiam pugnat G. Dittenbergerus[47]), qui dicit, voce „θησαυρός" quae in titulo legitur, templi aerarium significari sive domum, in qua donaria reserventur; hujus sententiae testes esse titulos (Syll.) 371. 388. 87 sq.; quo accedit, quod in nostro titulo non usurpatur verbum τελεῖν („bezahlen"), sed ἀπάρχεσθαι, quod est verbum proprium primitiarum dedicandarum. Ergo veri est simile, hos septemviros Olbiae res sacras curasse. Ac quod Struvius (l. l.) suae sententiae id magnum esse argumentum putat, quod septemviri una cum achontibus tantas egerint partes: antiquis temporibus collegium, quod universis rebus sacris praeerat, non minorem potestatem habuisse arbitror, quam collegium quod rebus publicis preeerat (archontes). Quorum quanta fuerit dignitas vel ex ea re apparet, quod eis ad populum referre licebat, quod jus nulli alii magistratui nisi archontibus concedebatur. Quae cum ita sint, antiquis temporibus una ambobus his collegiis summam rei publicae administrationem commissam fuisse conjiciendum est. Sed ab initio secundi a. Chr. saeculi, qua aetate nonnulla in rei publicae administratione mutata videntur[48]), etiam hoc munus dignitate, quam antea habebat, privatum aut omnino sublatum esse arbitror, quod in nullo post illud tempus titulo commemoratur.

Praetores (στρατηγοί):

sex virorum collegium erant, cui unus de eis ut par inter pares praeerat: „is, circum quem ceteri erant"[49]). Cum in septendecim titulis seni praetores nominati sint, Boeckhius non recte judicat, cum auctore titulo 57, in quo modo quinque

[45]) Buratschkow. catalog. nummor. p. 57. n⁰ 120. p. 58. n⁰ 123.
[46]) Mus. Rhen. XXIV, p. 563.
[47]) Syll. inscript. graec. p. 464 n⁰ 3.
[48]) conf. quae diximus de magistratu eponymo.
[49]) titt. 50. 52. 54. 55. 56. 58. 59. 61. 62. 63. 64. 65. 67. 68. 69 79. 80.

nominantur praetores, dicit [50]), praetores numero fuisse plerumque quinque ac nonnunquam sex. Nam quod titulus 57 quinque praetorum nomina praebet; fieri potuit, ut de eis unus nescio qua de causa e collegio discederet, priusquam annum complevisset, ejusque nomen in titulo non poneretur; ac quod „nonnunquam" sex fuisse praetores putat: „ὑπηρέτης" (v. i) in numero praetorum ab eo habetur. Sed illi doctissimo viro haec ita non exprobrem, ut contra mihi persuaserim, eum de hac sententia destiturum fuisse, si tantus titulorum numerus ei fuisset notus, quantus nunc ante nostros oculos propositus est. — Principem collegii, ut Boeckhius [51]) demonstrare conatur, non fuisse unum de ipsis praetoribus, sed archontem eponymum, minime veri simile puto, quod nullo ex rerum Graecarum memoria exemplo haec opinio confirmatur.

Praetorum munus ante saeculum p. Chr. secundum — quod ante hanc aetatem nulli eorum tituli dedicatorii exstant — non multum valuisse veri simile est. Sed ex illo tempore, cum perpetua cum barbaris bella gerenda essent atque urbs magis magispue castrorum imaginem indueret, magna hujus muneris auctoritas et dignitas erat.

Nam praetores non solum in proeliis exercitui praeibant, sed urbem etiam defendendam, muros munitionesque conservanda reparandaque curabant et pro universa civitate semper quasi in custodia erant. [52]) Atque Olbiopolitae, ut testarentur, quanti a se illud munus fieret, nonnumquam totum praetorum collegium coronis aureis coronaverunt. [53]) Praetores, qui Apollini Prostatae vota solvebant, omnia quae ad dei cultum pertinebant, curabant. Ut praetores, qui circum Pegasum, Purthaei filium, erant, [54]) templi ab hostibus violati tectum et

---

[50]) Introd. inscr. Sarmat. p. 89,16

[51]) i. l.

[52]) cf tituli 24 verba: „πιστῶς ἐστρατήγησαν πᾶσαν ἀγαθὴν πρόνοιαν τῆς φυλακῆς ποιησάμενος."

[53]) tit. 54.

[54]) tit. 58.

„quae circum deficiebant,“ [55]) renovabant. Nonnunquam praetores etiam Achillem Pontarchen donis dedicatis venerati sunt. [56])

In bello praetores adjuvabantur a milite, qui nominabatur „ὑπηρέτης;“ [57]) qui comparari potest cum nostro „Adjutant,“ sive „Ordonanz.“ Praeteres „comitatum“ habuisse concludi potest e tituli 17 verbis „καθήκουσα ἀκολουθία.“

Aediles (ἀγορανόμοι):

collegium erant quinque virorum, „οἱ περὶ τὸν δεῖνα ἀγορανόμοι.“ [58]) Qui, ut nomen docet, ordinem forensem tuebantur. Donaria dabant Mercurio Forensi (Ἑρμῇ Ἀγοραίῳ).

Astynomi (ἀστυνόμοι):

neque, ut Beckerus (v. s.) existimat, magistratum eponymum, neque curam Apollinis cultus, sed publicae securitatis curam et morum praefecturam videntur habuisse. Astynomi omnia, quae in fabricis, officinis, tabernis fabricabantur, probabant et signa imprimebant; neque licebat res nisi ab illis signatas in usu esse („Aichamt“).

Nomen astynomorum repertum est in lateribus, in nummis, potissimum in titulis ansarum, quae multas inter alias ansas prope Olbiam effossae sunt. Has ansas, quamquam earum patria non commemoratur, ex Olbiopolitanis fabricis provenisse demonstrat Beckerus (l. l.).

b) Senatus (βουλή):

compositus erat ex hominibus nobilissimis [59]), quorum numerus nusquam proditur. Senatui modo eos, qui aetate jam provecti erant, interfuisse e Dione concludendum est; senatores in hoc collegio videntur fuisse, dum vita decederent. A quibus lecti

[55]) „ναοῦ τήν τε ὀροφὴν καὶ κύκλωθεν τὰ ἐκλείποντα.“
[56]) titt. 79. 80.
[57]) titt. 55. 57. 68. 69.
[58]) titt. 75. 76.
[59]) Dio Chrys.

sint, non est notum. Senatus concilia habebantur in Jovis templo [60]), ubi patres in subselliis (ἐπὶ βάθρων) sedebant.

Magistratus [61]) illis conciliis intererant. Quicunque verba faciebat, in medium prodibat („ἐφθέγξατο εἰς τὸ μέσον", Dio.). Concilia erant publica ac coronae populi in area, quae patebat ante templum, stare et audire licebat. Quamquam a quo senatus convocari potuerit non proditur, tamen hoc jus apud archontes fuisse veri simile est. [62]) Nunquam ea quae senatus constituerat, nisi populus [63]) assentiebatur, legum vim habebant, ac senatui licebat modo rogationes, quae ad populum referendae erant, antea examinare. Haec erat **senatus auctoritas**.

c) De contionibus.

Re vera res publica Olbiopolitana administrabatur a populo, i. e ab universis civibus, qui in contionibus consilia capiebant, quae legum vim habebant etiam sine senatus auctoritate [64]). Contiones vocari [65]) poterant modo ab archontibus [66]). Num hoc factum sit certo ordine et certis diebus ignoratur. [67]).

Convocabantur cives ad contiones per praeconem. Veri simile est, Olbiae ut Athenis [68]), quod in omnibus titulis legi-

---

60) „ . . . Διὸς ἱερὸν", ubi solebant „βουλαύεσθαι".

61) „οἱ ἐν ταῖς ἀρχαῖς" Dio.

62) vide pt. II. n° 42.

63) i. e. ἐκκλησία.

64) nam in tit. 12 v. 6 legitur: „δεδόχθαι τῷ δήμῳ sine „βυλῇ".

65) verb. propr. est „συνάγειν", convocare.

66) tit. 16 a 85.

67) Dies, quibus contiones habitae sunt (verb propr. est: γίγνεσθαι [226] sive συναθροίζεσθαι [24,2] nominantur hi: Πανήμου ιβ (tit. 21) Βοηδρομιῶνος εἰ (tit. 22).

68) cf. „κῆρυξ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου, C. J. A. II; 393. 394. 431.

tur „ὁ“ κῆρυξ[69]), praeconis munus lege statutum fuisse et hunc praeconem omnes fecisse publicas pronuntiationes Locus, ubi contiones habebantur, erat „ἐκκλησιαστήριον“[70]). Quod fuisse theatrum supra diximus[71]). Prodire in contiones licebat modo civibus.

Contioni praeerat senatui, senatui archontes (antiquis temporibus etiam septemviri). Jnitii signum datum esse ab archonte primo veri simile est. Tum rogationes, quae factae erant, ab archontibus, sive a primo archonte (antiquis temporibus etiam a septemviris) populi deliberationi subjiciebantur; quod significatur verbis: οἱ ἄρχοντες (καὶ οἱ ἑπτά titt. 13 et 16) εἶπαν[72]), aut ὁ δεῖνα (nomen primi archontis) εἶπεν[73]). Rogationes ab ipsis archontibus (quos saepe a senatu mandata habuisse veri simile est) fieri solebant. Sed etiam privatis plebiscita ferre licebat: „εἰσηγήσασθαι“[74]); tamen non ipsi de suis rogationibus ad populum ferre (εἰπεῖν) poterant. Jmmo de his privatorum hominum rogationibus antea senatus deliberatio et auctoritas fiebat et tum archontes ad populum referebant in contione. Talia decreta semper nomen auctoris rogationis ferunt: „εἰσηγησαμένου τοῦ δεῖνος.“

Veri simile est, cuilibet licuisse in contionem ascendere verba faciendi causa. Postquam rogatio disceptata et deliberata est, in suffragium itur, quod fit manibus sublatis (χειροτονίᾳ, tit. 21, 9).

Jn contionibus de omnibus quae ad rem publicam pertinebant rebus decernebatur. Exstant decreta de his rebus:

1) De negotiis gerendis et pecuniae ratione („cours“).[75])
2) De pecunia accipienda.[76])
3) De privilegiis dandis.[77])

[69]) titt. 17,30. 21,34. 22,36. 25,14. 26,13. 27,10. 35.
[70]) Eodem nomine Dionys. Halic. IV,38 comitium Romanorum significat.
[71]) cf. pt. II. nº 22.
[72]) titt. 18. 22.
[73]) titt. 11,24.
[74]) titt. 18. 22,7. (24. 27. 28.)
[75]) tit. 11.
[76]) tit. 16 saepius.
[77]) titt. 8. 9. 10. 15.

4) De hominibus coronandis.[78]
5) De laudationibus.[79]
6) De statuis ponendis.[80]
7) De funeribus publicis.[81]

Ad magistratus annuos creandos quotannis, forsitan certo die, vocabantur comitia, quae nominabantur ἐκκλησία ἀρχαιρετική.[82] Qua in contione etiam rationem fuisse reddendam magistratibus veri est simile.

Promulgabantur populi decreta aut per praeconem[83] aut libellis in celeberrimis locis propositis[84], tum incisa sunt aut tabulis marmoreis[85], aut basibus marmoris leucophaei[86], aut pilae marmoreae[87], aut columnae lapidis albi[88], aut „εἰς τελαμῶνα λευκόλιθον", sive „ἐπὶ τελαμῶνι (qua voce columna nescio quomodo fabricata significari videtur): hoc semper decretis ipsis statuitur verbis: (ἔδοξε βουλῇ καὶ δήμῳ . . . .) „ἀναγραφῆναι (sive ἀναγράψαι) δὲ το ψήφισμα" etc. Haec monumenta in locis editis atque conspectis ponebantur[89]; licebat etiam, si clari viri populi decreto honorati erant, eorum propinquis locum ubi monumenta ponerentur eligere[90].

Decreta populi legum vim habebant et sanciebantur verbis inscriptis: ἔδοξε βουλῇ καὶ δήμῳ sive ἔδοξε τοῖς τε ἄρχουσιν καὶ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ. Solebant etiam nomina eorum

78) tit 12. 13. 16. 21. 26. 27. 35. 39.
79) titt. 14. 15. 25. 38.
80) titt. 17. 22. 24.
81) tit. 17.
82) tit. 17, 29.
83) titt. 35. 79.
84) quod conjicio e tituli 19 fragmento, ubi legitur: „δὶ ἐκθεμάτων.
85) titt. 8. 9. 10. 11. 12.
86) titt. 13. 14.
87) tit. 16.
88) titt. 22. 36. 40. (15?)
89) „ἐν ἐπισήμῳ τόπῳ (tit. 21) sive ἐν τῷ ἐπισημοτάτῳ τῆς πόλεως τόπῳ (titt. 22. 25. 36), sive ἐν τῷ ἐπιφανεστάτῳ τῆς πόλεως τόπῳ." (titt. 26. 40.)
90) ἐν ᾧ ἂν τόπῳ οἱ προσήκοντες αὐτοῦ βούλωνται (tit. 17.)

inscribi, qui ad populum tulerant et rogationes fecerant (v. s.). Jnitio decretorum saepe magistratus eponymus nominabatur[91]) Nonnunquam in decretis diem et mensem contionis legimus.[92])

Nonnullis in titulis commemoratur „*ἐκκλησία πάνδημος.*“[93]) Boeckhius[94]) conjicit, fuisse eam contionem, cui universi incolae, et cives et peregrini, interesse possent; et refutat Rochetti sententiam,[95]) qui conjicit, *ἐκκλησίαν πάνδημον* fuisse contionem ordinariam, ut Athenis quae *κυρία ἐκκλησία* nominabatur. Equidem arbitror, has sententias conjungi posse. Nam contionem illam fuisse ordinariam concludi potest his ex rebus: Jnprimis magni est momenti, quod in his titulis quae populus decrevit sanciuntur non solum verbis, quibus omnia decreta indicantur (i. e. *ἔδοξε βουλῇ καί δήμῳ*), sed etiam verbis „*ἐκκλησίας γενομένης* (sive *συνηθροισμένης,*“) quae ceteris in titulis non leguntur. Huc accedit, quod omnibus in his titulis accuratissime nomina magistratus eponymi, eorum, qui rogationes fecerunt, eorum, qui ad populum rettulerunt, et dies mensesque afferuntur.

Quibus ex argumentis quamquam non potest definiri, num Olbiae, ut Athenis,[96]) certis spatiis contiones ordinariae habitae sint, tamen veri simile est, harum contionum ordinariarum dies et eas res quae erant deliberandae ante certum tempus aut tabulis affixis aut per praeconem promulgata esse.

Universos incolas his contionibus interfuisse, ut Boeckhius recte dicit, ex rebus, quae in titulis (imprimis in titulo 22) narrantur, apparere videtur. Tamen quid est, cur ob eam rem illas contiones fuisse ordinarias negemus? Immo equidem arbitror, ordinariis contionibus interesse peregrinis, quamquam sine suffragio, licuisse, extraordinariis non licuisse.

---

[91]) titt. 21. 22. 24. 27? 28. 29? 30? 31. 32.

[92]) titt. 18. 21. 22. 24. 30. 31.

[93]) titt. 22,6. 24,2. 27 a. (28. 42).

[94]) C. J. Gr. II. Introd. Sarm.

[95]) Antiquitt. Bosp. p. 167.

[96]) Adam Reusch, de dieb. contion. ordinar. ap. Athen. in dissertat. philolog. Argentorat. 66/7.

5) De reditibus.

a) De re nummaria.

Antiquis temporibus modo aes et argentum in usu nummorum erant. Staterae Olbiopolitanae pretium quantum fuerit, e titulo 11 intelligis, ubi a populo decernitur $10\,^1/_2$ stateras pares esse uni aureo Cyziceno.[97]) Cum autem aurei Cyziceni pretium idem esset ac viginti drachmarum Atticarum, statera argentea Olbiopolitarum fere par erat duabus drachmis Atticis. Sed jam tituli 16 aetate Olbiopolitae etiam aureis nummis utebantur, quorum quantum pretium fuerit forsitan cognosci possit e tit. 16. Ibi legitur (A. v. 71): „ἐκομίσατο χαλκὸν ἐκ τετρακοσίων." Quae verba ita intellegenda puto, ut Protogenes pro singulis aureis, quos dederat, quadringenos nummos aereos receperit; et hoc arbitror modo Olbiae significatam esse rationem, quae inter aurum et aes intercedebat, praesertim si respicias, quod alio in loco (B, 43) iterum „ἐκ τετρακοσίων χαλκόν" recepit, quamquam tum plus quam antea dederat.[98]) Tamen vix probabile Olbiae omnino hanc rationem fuisse, si conferas aliarum civitatum auri pretium, ut Cyzici, ubi aureus par erat nongentis sexaginta

[97]) legitur in titulo 11 editionis Latysch.: „πωλεῖν καὶ ὠνεῖσθαι τὸν μὲν στατῆρα τὸν Κυζικηνὸν [ἑνδεκά]το[ν] ἡμιστατῆρο[ν]," De hoc loco dicit Dittenbergerus (Hermae vol XVI, p. 189 sq.): „ . . . . . . damit verschwindet die Möglichkeit, dass το vor ἡμιστατηρο als Genetiv des Artikels zu fassen ist, und es unterliegt keinem Zweifel, dass wir hier die bekannte Redeweise vor uns haben, die Pollux IX, 62 erläutert durch das Beispiel τρίτον ἡμίδραχμον αἱ δύο δραχμαί. Ja, es wird sich noch mit ziemlicher Sicherheit sagen lassen, welches Ordinalzahlwort zu ergänzen sei, indem nur zwischen ἐνδακάτου oder δωδεκάτου ἡμιστατήρου die Wahl bleibt." Re vera ἑνδεκάτου supplendum esse demonstrat Mordtmannus (Herm. XX, fasc. 2. p 314), qui post Κυζικηνὸν agnovit litteram *E*.

[98]) Sententiam Koehleri et Letronnii, quam secutus est Boeckhius („ex parte quadringentorum aureorum, hoc est pro quadringentis aureis aes accepisse Protogenem"), a Latyschewio (p. 41 sq.) satis refutatam esse puto.

nummis aeneis. Quare Latyschewius recte dicit, auri pretium tum minus fuisse „propter civitatis paupertatem aurique penuriam.“ Quae cum ita sint, rationem, quam aurei Olbiopolitani omnino habebant, definire non possumus.

b) De reditibus et expensis.

Olbiopolitana res publica reditus percipiebat e vectigalibus, e muneribus, quae *λειτουργίαι* nominabantur, e donis, quae cives sua sponte offerebant. Ex titulis 8, 9, 15 apparet, omnibus peregrinis, qui domicilia Olbiae habebant, et quoties navibus portum relinquebant, et quoties intrabant, vectigal pendendum fuisse; quo accedebat, ut omnibus mercibus, quae aut importabantur aut exportabantur, portorium imponeretur. Quae vectigalia portoriaque non ab ipsis rei publicae magistratibus exigebantur, sed certo pretio „publicanis“ (*τελώναις*)[99]) locabantur. Eodem modo etiam multae a publicanis redimebantur.[100])

Jam supra diximus virorum nobilium fuisse, non solum quam saepissime magistratus gerere, sed etiam officiis sua sponte susceptis[101]) rem publicam adjuvare. Aedificia publica ab hominibus privatis sive exstrui sive renovari solebant. Ut Cleombrotus quidam[102]) ad muniendum murum in ripa fluminis turrem exstruxit et epigrammate inscripto Herculi dedicavit. Jdem magnam portam et „*σχοινιαίαν*“[103]) reparandas curavit.[102 b]) Anaximenes quidam cum fratribus turrem reparatam Jovi Poliarchae, et Ababus quidam pro populo Jm-

[99]) titt. 16 A, 51. B. 66.

[100]) De hac re dicit Dittenbergerus (Syll inscr. graec. n° 354): „. . . civitas hominibus privatis certa pecunia locabat multas exigendas. Qui conduxerant (*οἳ ἂν τὴν ὠνὴν πρίωνται τῶν παρανομησάντων*, Lat. tit. 11, v. 21), eorum erat inquirere, si cui multa inroganda esset cumque ad judicium adducere; ac si damnatus esset, pecuniam in suam ipsorum rem familiarem redigere.“

[101]) „*λειτουργίαις.*“ v. s.

[102]) titt. 99. 100. (102) titt. 99. 100. b. titt. 101.

[103]) „voce „*σχοινιαία*“ manifesto muri oppidum cingentis pars, quae est inter duas turres significatur.“ Latysch. p. 43.

peratoribus Augusto et Tiberio porticum dedicavit.[104]) Ac multa sunt talia munera a privatis suscepta, quae singillatim in titulis non significantur. Huc accessit, ut magistratus omnes quae ad templa pertinebant res curarent, muros repararent, tecta restituerent (v. s.). In titulo 98 archontes dedicaverunt „προσευχήν," i. e. „sacellum adorando deo destinatum."[105])

Si rei publicae tempora impedita ita erant, ut aerarium solvendo non esset, homines privati civitatem sive pecunia, sive frumento adjuvare suum putabant et in contionem prodeuntes dona sua offerebant („ἐπαγγέλλεσθαι.")[106]) Nonnunquam etiam ipse populus contione habita divites hortatus est,[107]) ut frumentum sive pecuniam darent: Quoties dedit Protogenes! (v. s.)

Nec mirum videtur, quod rei publicae aerarium exhauriebatur, si reputaveris expensorum magnitudinem. Non dico de sumptibus ordinariis: de ludis, coronis, statuis, navibus, operibus publicis.[108]) At quantum perpetua bella sumptum afferebant et dona haud parva, quae semper regulis illis multis Scytharum et Sarmatarum danda erant, ut pax aegre servaretur! Huc accedebat, ut magna tributa pendenda essent. Ut ex titulo 16 apparet, quotannis magnam copiam „rerum regi tributi loco mittendarum, sive terra, sive mari"[109]) in regiam Scytharum, transvectam esse. Cujus expeditionis solus apparatus trecentis aureis hominibus privatis locabatur.

c) De redituum administratione.

Redituum administrationi praeerat „ὁ ἐπὶ τῆς κοινῆς οἰκονομίας καὶ ταμιείας."[110]) Hic summos reditus curabat („χειρίσας τὰς μεγίστας τῆς πόλεως προσόδους" 16 B, 66), custodiae ejus imprimis publicani et redemptores

---

104) tit, 102.

105) Boeckh., C. J. Gr. II. nº 2079.

106) tit. 16 A, 18, 39, 68.

107) „παρακαλεῖν τοὺς ἔχοντας."

108) quae locabantur redemptoribus (ἐργώναις). 16 B, 36.

109) Boeckh., C. J. Gr. II nº 2058.

110) tit. 16 B, 65.

subjecti erant, in omnibus rebus, quae ad reditus pertinebant, liberum arbitrium videtur habuisse. Licebat ei, publicanis pecuniam, cum rebus urgerentur, remittere aut fenori dare; vectigalium condiciones statuebat. Certis spatiis („ἐν τοῖς ὡρισμένοις χώροις“) redituum et expensorum rationem reddebat in contione. Munus per triennium gerebatur. Ὁ ἐπὶ τῆς κοινῆς etc. fere idem est atque Athenis ὁ ἐπὶ τῇ διοικήσει[111]) (cujus vocis admonet tituli 16 verbum „διῴκησεν.“)

Novem archontum collegii[112]) erat, et ordinaria et extraordinaria dona tributaque, quae regulis danda erant, curare, inprimis expeditionem apparare, quae quotannis in regiam Scythicam deducebatur [„στόλον εἰς βασίλεια.“] Quarum rerum sumptum quibus ex reditibus ceperint, non est notum.

[111]) Hoc justum est nomen, non ut Struvius (Mus. Rhen. XXIV, 75) judicat: ταμίας sive ἐπιμελητὴς τῆς κοινῆς προσόδου. cf Gilbert, Handbuch der grieh. Staatsaltertümer, p. 233 n⁰ 1.

[112]) „οἱ ἐννέα ἄρχοντες,“ 16 a, 39.

Pars tertia.

De deorum culti.

a) De Achillis cultu et de insula Leuce.

Dio Chrysostomus in oratione Borysthenitica (p. 439) tradit, Olbiopolitas duo habuisse Achillis templa, alterum in urbe, alterum in „insula Achillis." Eam autem esse Borysthenida insulam, quae hodie nominatur Berezan, ante ostia Borysthenis et Hypanis sitam, judicat Koehlerus,[1]) cum affirmat titulum 77 (Boeckh., C. J. Gr. II, 2076), quem archontes Olbiopolitani Achilli Pontarchae dedicaverunt, in hac insula esse repertum. At Phil. Bruunius in epistola ad Mommsenum data[2]) demonstravit, illam Koehleri sententiam positam esse in errore.

Ac titulis 171 et 172 repertis „non jam videtur dubium, quin de insula Leuce locutus sit Dio."[3]) Nam hi tituli, qui a civibus quibusdam Olbiopolitanis Achilli dedicati sunt, in insula Leuce reperti sunt et ibi positi fuerunt. Illi autem insulae, ante Jstri ostia sitae, a veteribus summum cultum tributum esse quis est, quin sciat?[4])

Qua re, cum res Olbiopolitanas describamus, etiam de insula Leuce, quae Olbiopolitarum erat, pauca dicenda puto.

Achillis corpus mortuum, priusquam ad Trojam comburеretur, a matre in insulam Leucen deductum est, ut ibi sepeliretur.[5]) Qua in insula Achilles quasi alteram vitam vivebat,[6]) quae tamen priori vitae simillima erat. Neque

---

[1]) Mémoire sur les îles et la course consacrée à Achilles dans le Pont-Euxin. p. 103 sq.

[2]) C. J. Lat. III, 2 p. 1009.

[3]) Latysch. p. 167 ad tit. 171.

[4]) cf. Euripid. Androm. 1260. Pind. Nem. 4,79. Scylax. ed. Klaus p. 209. Demetr. Calatian. apud Scymn. Peripl. Pont. Eux. 43 et 45. Lycoph. 186. Conon. narr. 18. Strabo 2,135 et 7,306. Ptolem. 3,10. Arrian. Peripl. P. E. 21.

[5]) Plin. 4, 12, 16.

[6]) Dionys. Perieg. 541 sqq.

enim armorum aut cursus exercitationem intermisit nec epularum, amoris, cantus delicias abjecit. [7]) Nautae, qui appulerant ad insulam, saepe armorum strepitum audiebant. Nocturno autem tempore, quo epularum et cantus voluptati se dabat, navem appelli fas non erat; [8]) ante occasum solis nautae qui in insula erant, in naves redibant. [9]) Tamen saepius homines mortales Achilles amicissime excepit: [10]) inprimis heroes, ut Orestem. [11])

Quamquam tradunt, in insula homines non habitasse, [12]) tamen veri simile est, sacerdotum Olbiopolitanorum collegium quoddam in ea domicilium habuisse, qui templum ejusque oraculum [13]) et res sacras curabant. Confer, quae Olbiopolitae dicunt in titulo 171: „*ἡ πόλις φανερὸν ποιήσηι τοῖς Ἕλλησιν, ὅτι καὶ τῆς νήσου πολλὴν πρόνοιαν ποιεῖται* . . . .“ Praeterea ex titulis 13 et 171 apparet, homines, quorum in honorem tituli facti sunt, de nautis, qui Achillis adorandi causa ad insulam appulerant, bene meritos esse in ipsa insula. Nam quae tradunt Arrian. (l. l.) et Philost. Her. (746) nihil sunt, nisi fabula amoena: templi custodes fuisse maris aves, qui mane in aequore alis madefactis templum conspersissent ejusque solum verrissent.

Qui insulam sacra facturi adibant, capellas offerebant, quas tamen non mactabant sed emittebant; quo factum est, ut insula magna capellarum copia frequentaretur. Qui naufragio facto in insulam ejecti erant, pro victimis, quas inter illas capras eligerent, pecuniam offerebant. Insula erat sacrosancta: [14]) ab Olbiopolitis nominatur in titulo 13: „*ἡ ἱερὰ νῆσος ἡ Λευκή*.“ Orae continentis incolas inprimisque Olbio-

---

[7]) Philost. Her. 747.

[8]) Aristot. mirab. auscult. 106. p. 213 sqq.

[9]) Max. Tyr. Diss. 15 p. 173.

[10]) ibid. et Philost. Her. 748 sqq.

[11]) Eustath. Od. 11 p. 1696.

[12]) Scyl. Peripl. p. 30. Arrian. Peripl. P. E. p. 21. Anonym. Peripl. P. E. p. 11. Philost. Her. 746. Ammian. Marcell. 22,8.

[13]) Anonym. Peripl P. E. l. l.

[14]) Philost. Herod. 248.

politas in insula non raro deo sacra fecisse veri est simile; feminas insulam intrare fas non erat.[15])

Qui naufragium fecerant, eis deus magna voce ubi appellerent nuntiabat,[15]) aut noctu nautis per somnium visus portum ostendebat.[16])

Templum, cujus parietinas describit Koehlerus,[17]) refertum erat magna copia donorum dedicatorum, quae qui deum adoraverant ante statuam[18]) Achillis deposuerant.

Insula autem Leuce cur apud Graecos tanti fuerit intelliges, si respexeris, quod dicit Ukert:[19]) „sie diente in dieser Gegend, die durch Sandbänke und Untiefen gefährlich ist, den Alten, die immer Küstenfahrer blieben, als Merkzeichen."

Ex hac insula cultus Achillis, cujus in praesidio tota Ponti Euxini navigatio erat,[20]) ut in ceteras in ora illius maris sitas urbes, ita Olbiam transductus est jam antiquissimis temporibus.

In urbe ipsa Achillis templum et sacerdotum collegium et archontes curabant. Archontes, cum magistratu se abdicaverant et in contione rationem reddiderant, Achilii donum (*χαριστήριον*), quod quale fuerit non est notum, „pro pace et fertilitate et virtute urbis suaque ipsorum salute" dedicabant.[21]) Etiam praetores Achilli Pontarchae vota solvebant.[22])

---

[15]) Philost. Herod. 748.
[16]) Arrian Peripl. p. 22 sqq.
[17]) Mémoire etc. p. 602 sqq.
[18]) quam nominat Arrian. Peripl. P. E. p. 22: „*ξόανον τῆς παλαιᾶς ἐργασίας.*"
[19]) Geographie der Griech. u. Röm Abteil. III, 2 pag. 412.
[20]) quamobrem „*Ποντάρχης*" nominabatur et hoc nomine colebatur. cf. titt. 77—83.
[21]) „*ὑπὲρ εἰρήνης καὶ πολυκαρπίας καὶ ἀνδραγαθίας τῆς πόλεως καὶ τῆς ἑαυτῶν ὑγείας.*"
[22]) titt. 79 et 80.

Sacerdotum princeps Achilli dona dedicat „pro urbis fertilitate [23]) et pace suaque ipsius salute.“ [24])

Achilli Pontarchae equorum curriculum [25]) et ludi gymnici committebantur. Ac conjicio „pentathlon“ editum esse. Nam commemorantur in titulis:

1) ἅλμα, in titulo 77, ubi pro ἅλμα legitur παίδημα (= πήδημα;) [26])

2) δίσκος, in tituli 90 fragmento.

3) δρόμος, in titulo 77.

(4) πάλη.)

5) ἄκων, in titulis 77 et 80, ubi pro „ἄκων“ legitur „λόγχα.“

Quartum certamen, πάλη, quamquam nullo in titulo commemoratur, tamen, quod cetera pentathli certamina Olbiae edita sunt, in usu fuisse veri simile est. Quam ad opinionem me adjuvat, quod apud Dionem Chrysostomum (p. 279) legi: „διατρέχοντας ἢ παλαίοντας ἢ διαπηδῶντας; haec autem verba cum substantivis congruunt: δρόμος, πάλη, πήδημα sive ἅλμα. Praeterea ex ea re, quod „πάλη“ non commemoratur, omnino illud certamen Olbiae non editum esse concludi non potest; nam casu fieri potuit, ut tituli, qui hujus certaminis victorum nomina praeberent, interirent.

b) De ceteris deis Olbiae cultis.

Secundum Achillem Pontarchen, regem Leuces, [27]) Olbiopolitae maxime colebant Apollinem Prostaten. [28]) Ei

---

23) legitur in titulo 81: „ὑπὲρ εὐποσίας“; qua de voce multae sunt conjecturae, ex quibus maxime mihi probatur Cumanudis (συναγωγὴ λέξ. ἀθησαυρ.): εὐβοσία, „gute Weide.“

24) titt. 81. 82. 83.

25) quod commemoratur tit. 17, 30.

26) Olbiae puerorum cursum non fuisse testatur hic titulus contra Koehlerum, Mémoire etc. p. 636: „παίδων δρόμος.“

27) „Λευκῆς μεδέων“ nominatur Achilles in tit. 172.

28) Apollo Prostates commemoratur etiam apud Sophoclem (Trach. 209); nomine Phoebi Prostaterii Elektr. 637.

praetores dedicabant: Victorias argenteas, [29]) Victorias aureas [30]) pateras argenteas, [31]) torques aureos, [32]) coronas. [33]) Preces faciebant „pro urbis pace et incolumitate suaque ipsorum salute.“ De templi cura praetorum jam supra locuti sumus.

Apollinem etiam Medicum cultum esse cognoscimus ex titulo 93, ubi legitur: Ἀπ[όλλωνι] Ἰ[ητρῶι.] „In titulis Panticapaeensibus idem deus saepius occurrit.“

Apollinis Delphinii cultum testatur titulus 106, ubi filii, ut patris memoriam pie colerent, ejus imaginem Apollini Delphinio dedicaverunt.

In epigrammate titulo 58 inscripto praetores Apollinem nomine Phoebi allocuti sunt, eidem deo titulus 74 a praetoribus dedicatus est.

Summi dei, Jovis, cultum cognoscimus ex titulis 12. 91. 92, ubi nomine Σωτῆρος commemoratur.

Juppiter, qui urbem tuetur, nominatur aut Ζεὺς Πολιάρχης (tit. 101) aut Ζεὺς Ὄλβιος, ὁ προεστὼς τῆς πόλεως θεός (tit. 24.)

Jovi regi, Διὶ βασιλεῖ, post mortem Heuresibius quidam a populo propter merita dicatur. (tit. 105.)

Cererem cultam esse probant non solum nummi, sed etiam titulus 107, ubi appellatur μητὴρ θεῶν, deum mater. Cereris templum erat in Hippolai promontorio e regione urbis (v. s.) Thetis una cum filio Achille in titulo 82 adoratur.

Manium et inferorum deus erat Pluto, Πλουτεὺς ὁ πάντα νικῶν (tit. 27.)

Mercurio Forensi, Ἑρμῇ Ἀγοραίῳ, aediles vota solvisse jam supra diximus.

---

[29]) titt. 53. 76.

[30]) tit. 59. 68. 70. cum basi argentea: titt. 56. 71.

[31]) titt. 52. 53. cum ansa aurea tit. 67. cf. Latysch. p. 104.

[32]) titt. 50. 54. 57. 64.

[33]) tit. 68.

[34]) Boeckh. C. J. Gr. II. p. 86.

Inter heroum sacra cognoscimus Herculis et Dioscurorum. Herculi a Cleombroto quodam turris ad ripam fluminis exstructa dicatur (tit. 99.) Dioscurorum cultum docent horum insignia,[35] quae in nummis Olbiopolitanis dispiciuntur.[36]

Baccho celebrabantur Dionysia. Mos videtur fuisse, ut spectacula et pompae agerentur.[37]

Rebus sacris praeerant Septemviri (v. s.), quorum in custodia templi aerarum erat. Sacrificia curabat rex sacrificulus.[38] „Equidem eo inclinor, ut regis sacrificuli munus Olbiae *διὰ βίου* fuisse putem (ut Romae et apud Graecos multa sacerdotum munera Romanae aetatis.)“[39]

---

[35]) singuli asterisci in dextra et in sinistra.

[36]) B. Köhne, mus. princ. Kotschubei I, p. 57 n⁰ 93.

[37]) Quae concludi e rebus, quas narrat Herodotus IV, 79. cf. verba: *βακχεύειν* et *μαίνεσθαι*.

[38]) Regis sacrificuli munus Mileti fuisse testatur titulus post O. Rayetum a G. Dittenbergero editus: Syll. insc. graec. n⁰ 376.

[39]) Latyschew. p. 90. tit. 53.

Vita.

Natus sum ego Fridericus Guilelmus Lindisch Merseburgi a. d. XVIII Cal. Jan. a. h. s. LXIII patre Friderico, matre Guilelmina de gente Kötzsche, quos adhuc vivere summopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Literarum rudimentis in schola civili imbutus gymnasium Merseburgense per novem annos frequentavi, unde testimonio maturitatis instructus vere anni LXXXII Halas me contuli, ut philologiae et historiae scientiae me dederem. Posteri anni vere Lipsiam profectus sum ibique duo semestria moratus Halas redii.

Scholas audivi prof. et doct. ill.:

Halis: Zacher, Dümmler, Droysen, Ewald, Naumann, Keil, Hiller, Dittenberger, Haym.

Lipsiae: Curtius, Lipsius, Voigt, Heinze.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago semperque habebo.

Druck von Hottenroth & Schneider in Merseburg.

Corrigenda et addenda.

Pag.		Vers.		
4		9	lege:	externis pro. eternis.
7		6	-	rem pro. rom.
14		3	-	pendenda pro. dendenda.
19		9	-	violatae pro. violata.
28		14	-	vestę pro. vesta.
38		5	-	senatus, senatui pro. senatui, senatui.
45		2	-	cultu pro. culti.
35	nt.	52	-	ἐστρατήγησεν pro. ἐστρατηγησαν.
32	vers	11	adde	post eponymum: cum archontum principis munere.